lùm corpus aut partes corporis ejus, sed etiam exteriora, puta vestus & similia; atqui manifestum est, quod non solùm Christum, sed etiam Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquàm membra Christi, Dei filios & amicos, & nostros intercessores: ergò eorum Reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerati debemus. Verba autèm Aug. undè D. Thom. desumit hoc argumentum, sunt hæc, loco citato: *Si paterna vestis & annulus, ac si quid est hujusmodi, tantò carius est posteris, quantò erga parentes est major affectus, nullò modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiariùs atque conjunctiùs, quàm qualibet indumenta, gestamus.*

Obcrervandum (*Ibid. art. 4. o*) crucem, in qua Christus pependit, duplici ratione coli: uno modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea: alio modo ex contactu ad membra Christi; & ex hoc quòd ejus sanguine est perfusa: alias autèm cruces, quæ effinguntur, veneramur tantùm ut imaginem Christi crucifixi.

Dico 2. (*Ibid.*) Si Crux & aliæ Reliquiæ Christi & Sanctorum apprehendantur simùl cum eo, cujus sunt Reliquiæ, tanquàm unum totale objectum, eodem cultu adorantur: Christus quidèm aut Sanctus primariò & propter se; Reliquiæ secundariò & propter Christum, aut Sanctum: sicùt, inquit S. Doct. eadem veneratione veneramur Regem & ejus vestimentum: undè concludit, crucem qualemcumque adorari latria, scilicèt respectiva, eo modo quem explicuimus suprà de Imaginibus; eadem enim est ratio de Reliquiis, hòc sensu consideratis. Si verò Reliquiæ considerentur præcisè secundum relationem, quam habent ad Christum, aut Sanctum, cujus sunt Reliquiæ, quatenùs fuerunt aliquid illius, aut eum tetigerunt, ut diximus de imaginibus tertio modo consideratis, tùnc adorantur cultu inferiori, qui analogicè & reductivè tantùm pertinebit ad genus cultûs Santo exhibiti. Idem est ac de imaginibus tertio modo consideratis.

Solvuntur objectiones.

OBJ. *1.* Nullus pius filius veneratur contumeliam patris sui, puta flagellum, quo flagellatus est, vel lignum, in quo fuit suspensus: ergo. R. N. Conseq. (*Ibid. ad* 1.) Disparitas est, quòd flagellum & patibulum patris consideratur a filio ut opprobrium & malum patris tantùm; si enim fuissent patris causa exaltationis, & filio liberationis ex acerba tyrannide, illa in pretio haberet. Nos autèm veneramur crucem, clavos, lanceam sub secunda consideratione, quatenùs fuerunt instrumenta triumphi Christi, & nostræ liberationis.

Inst. Saltèm præter veram crucem aliæ non videntur adorandæ: ergo. Prob. Ant. Licèt adoremus veros clavos, veram lanceam, verum præsepe, verum sepulchrum, non tamèn adoramus omnes alios clavos, omnes lanceas, omnia præsepia, omnia sepulchra, &c. Ergo. R. N. Ant. Ad Prob. N. Conseq. Disparitas est; quòd ista omnia non repræsentat imaginem Christi sicut crux; crux enim de novo facta non solùm est imago primitivæ crucis, sed etiam ipsius Christi, quem nobis statim exhibet in ea extensum; nullum enim nùnc habet alium usum apùd nos pòst edictum Constantini, qui prohibuit sontes crucifigi: imò nec ista omnia sunt imagines eorum, quæ fuerunt instrumenta Passionis Christi, sicùt crux est imago crucis, in qua pependit; ad imaginem enim non sufficit omnis similitudo, sic frater non dicitur imago fratris, nec ovum imago alterius ovi; sed requiritur, quòd unum exprimatur ex altero ad ejus similitudinem, sicùt nùnc cruces omnes fiunt ad experimendam primam: at verò non omnes clavi, lanceæ, præsepia fiunt, aut eriguntur ad repræsentanda illa, quæ fuerunt instrumenta Passionis Christi, sed ad alios usus: si tamèn in hunc finem erigerentur, sua veneratione non carerent, ut cùm ponuntur in imagine cum cruce.

Repones: Si adoremus instrumenta passionis & alia, ratione contactùs, sequitur, quòd paritèr potuissent adorari labia Judæ, manus crucifigentium Christum, asinus, cui insedit, &c. atqui hæc sunt absurda: ergo. R. Certum est, rèm ex contactu ad aliquam personam excellentem secundùm communem æstimationem hominum contrahere ordinariè àliquam dignitatem & venerabilitatem, qua fit, ut habetur in majori pretio, quàm antè; sed ad hoc requiritur, quòd moralitèr loquendo censeatur participasse aliqualiter ejus excellentiam, aut sanctitatem, & quòd nihil obstet in ea veneratione. Hoc notato, N. Sequelam argumenti; labia enim Judæ & manus crucifigentium nullatenùs participaverunt sanctitatem Christi, sed potiùs malitiam eorum, quorum erant membra & partes vitales, ità ut fuerint instrumenta immediata Passionis, non tàm ut erat passio, quàm ut erat actio scelerata; potest enim sub hac duplici ratione considerari Passio Christi: crux autèm, clavi, & aliæ res inanimes fuerunt instrumenta immediata Pasionis Christi, ut passio erat sanctissima, mediata tantùm actionis scelæratæ Judeorum. Quantùm ad asinum repugnat ipsi deferri adorationem, quia erat brutum, & fuisset ignorantibus occasio idololatrandi. Adde, quòd Christus non insederit immediatè Asino, sed vestimentis superpositis.

Urgebis: ex hac sententia sequitur, quòd cruces, quæ sunt in plateis & locis indecentibus, vel quæ exprimuntur manu vel digito, debeamus adorare, quod videtur absurdum. R. equidèm cruces non debere erigi in locis indecentibus: undè Theodosius Imperator prohibuit, ne humi pingerentur vel sculperentur, propter periculum eas pedibus calcandi. l. 1. cod. tit. 8. l. *cum sit nobis*. Ubi tamèn reperiuntur, veneratione dignæ sunt, etiam cruces digito vel manu formatæ, ut docent Patres, citati à Nugno, Dionisius, Cyrillus Jerosol. Atanas. Basil. Chrisost. &c.

Obj. 2. Deus Deuteron. cap. ult. abscondit corpus Moysis, ne coleretur à Judæis. Christus Luc. 11. & Matth. 23. arguit Judeos, quòd sepulchra Prophetis erigerent: ergo. R. ad 1. id esse factum à Deo, ne corpus Moysis coleretur ut Deus à Judæis, qui valdè erant propensi ad idololatriam. Ità Chrysost. hom. 5. in Matth. Nec obstat, quòd non coluerint eum viventem ut Deum; ipsum enim tùnc audievant sæpè dicentem unum esse Deum, se verò servum: post mortem ejus verò, obliti sermonum & memores mirabilium, quæ fecereat, facilè potuissent eum ceu Deum colere, ut fecerunt serpentem æneum. Ad 2. R. Christum his in locis non reprehendere Judæos præcisè quòd sepulchra Prophetis erigerent, sed quòd non imitarentur eos, quorum monumenta magnificabant, sed potiùs Patres suos, qui Prophetas occiderant, atque ità seipsos condemnarent; quærebant enim ipsum occidere. Undè dicit, eos consentire opèribus majorum suorum. Ità Chrysost. hom. 75. in Matth. Ambros. & Beda in c. 11. Luc.

Obj. 3. Concilium Illeberitanum can. 34. prohibet ne cerei per diem accendantur in cœmeteriis: *Inquietandi enim*, inquit, *spiritus Sanctorum non sunt*. Et D. Hieronymus Vigilantio, objicienti idololatriam esse accendere de die cereos coram Reliquiis, nihil aliud respondet, quàm eos solo id facere, *qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Et Aug. libr. de moribus Ecclesiæ c. 34. reprehendit sepulchrorum & imaginum adoratores: ergo. R. ad Concil. Illiberit. ibi tantùm prohibere superstitionem Gentilium, qui, accensiæ cereis & variis aliis superstitiosè adhibitis, animas defunctorum evocabant, quasi illic adessent; talis enim evocatio est quædam inquietatio. Sic anima Samuelis evocata á Pytonissa dicit: *Quare inquietasti me?* Reg. 28. Ad S. Hieronymum: ibi tantùm culpare eos, qui superstitiosè accendabant cereos coràm Reliquiis Martyrum, putantes eos iis cereis accesis illustrari, quia objecerat ei Vigilantius per ironiam: *Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant devilissimis cereis illustrari.* Seclusa autèm hac superstitione, ibidèm probat id esse pium & licitum: *Quicumque*, inquit, *accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem*; huncque usum probat, quia ad lectionem Evangelii accendantur cerei. Idem probat in Epist. ad Riparium & in vita Paulæ. Ad Aug. R. ipsum eo loci non loqui de Sanctorum sepulchris, seu imagìnibus, sed quorumlibet defunctorum: damnat ergo eos qui defuntorum manibus ad eorum sepulchra, seu imagines more gentium parentabant, offerentes eis panem & vinum, alasque epulas, quibus deindè se ingurgitabant & inebsiabant. Patet ex ejus verbis: *Novi*, inquit, *multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores: novi multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant: & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos, seipsos sepeliant, & voracitates ebrietatesque suas deputent Religioni:* Quòd autèm non negaverit Augustinus religiosam venerationem sepulchrorum Sanctorum patet ex his verbis Epist. 42. ad Madaurenses: *Videtis, imperii nobilissimi eminentisimum culmen ad sepulchrum Piscatoris Petri submissio diademate supplicare.*

Obj. ultimò: Sæpè falsas Reliquias venditari, & coli pro veris, quod jam sæpè deprehensum est, & insinuat Aug. libr. de opere Monach. c. 18. ubi, cùm dixisset Monachos quosdam circumferre Reliquias Martyrum, subdit: *Si tamèn Martyrum.* Adde, tot esse ejusdem generis Reliquias, ut oporteat vel eumdem Sanctum habuisse multa corpora, vel multas Reliquias esse falsas. Ità Calvinus. R. N. Ant. de Reliquiis, quæ auctoritate legitima in Ecclesiis venerationi Fidelium proponuntur, de iis enim tantùm loquimur; sempèr enim Ecclesia diligentiam adhibuit, ne fraudes irreperent, maximè post decretum Concilii Lateran. qui cavetur, ne ullæ Reliquiæ publicè exponantur absquè suficienti examine & approbatione. Non mirum est autèm, Augustinum dubitasse de Reliquiis, quas privati quidam Monachi circumferrent. Quoad id, quod additur de multiplicatione ejusdem Reliquiæ, R. id accidere ex eo, quòd diversæ partes ejusdem corporis sint in diversis locis, & à parte denominetur totum. Sic toti quadraginta Martyres (ut scribit Basilius Orat. in 40. Martyres) dicebantur esse in variis urbibus, quia quælibet civitas habebat aliquam partem eorum. Et Theodoret. l. 8. de Martyribus advertit, corpora Martyrum raro inveniri integra in sepulchris, sed in variis locis esse distributa.

Cæ-

Cæterum dato, posse, absolutè loquendo, aliquandò falsas Reliquias irrepere pro veris, non ideò tamèn ab omnium cultu abstinere debemus; sufficit enim ad earum cultum licitum moralis certitudo de earum veritate, sicùt eadem moralis certitudo sufficit, ut adoremus Hostiam consecratam, etsi possit accidere, quòd non sit consecrata. Adde, quod sæpè sit error materialis tantùm, ità ut dicantur reliquiæ unius Sancti, quæ tamèn sunt alterius.

Quæritur, utrùm Mater Christi sit adoranda adoratione latriæ? R. Negativè, Prob. (*Idid. art. 5. o.*) Non est adoranda latria absoluta; quia est pura creatura: neque respectiva; quia, cùm sit creatura rationalis, est propter propriam excellentiam adoranda: Ergo. Patet Ant. pro 1. parte. Prob. pro secunda 1. Quia si creatura rationalis, quæ ratione sui digna est veneratione, adoraretur latria respectiva, præberetur occasio existimandi, quòd adoratio ipsi tribueretur ratione propriæ excellentiæ. 2. Quia adorari hyperdulia propter se est quid majus, & nobilius, quàm adorari latria propter aliud. Licèt enim latria sit species cultûs perfectior, & dignior, quàm dulia, seu hyperdulia, in individuo tamèn actus duliæ potest esse perfectior, & dignior actu latriæ, sicut v. gr. licèt justitia sit virtus specie perfectior temperantia, potest tamèn actus temperantiæ summus esse in individuo perfectior actu justitiæ infimo: & id contingit in actu relativo latriæ, & absoluto hyperduliæ; quia actus latriæ, licèt quatenùs absolutus est, & terminatur ad Deum, sit perfectior, & perfectissimus; ut tamèn est relativus, & terminatur ad creaturam insensibilem, non est perfectior; nec indè habet, quòd sit latriæ, nisi materialitèr, ut diximus.

Dices: Conjunctior fuit Christo Mater ejus, quàm crux: ergo. R. C. Ant. N. Conseq. (*Ibid. ad 3.*) Quia crux, cum sit res insensibilis incapax secundum se honoris, non ratione sui, sed ratione alterius adorari debet: Beata autèm Virgo, cùm sit secundum se honoris capax, honoranda est cultu, qui ei debetur secundum se, propter rationes allatas.

Repones: Honor Matris refertur ad Filium; atqui Filius adoratur latria: ergo. R. D. Ant. (*Ibid. ad* 2.) Honor Matris refertur ad Filium ut ad finem, C. ut ad objectum, quod eadem adoratione simùl adoratur, N. Adoratio autèm imaginis refertur ad exemplar sicùt ad objectum, seu terminum, qui eodem actu adoratur, ut diximus. Sunt tamèn quidam Recentiores, quos tacito nomine refert Nugno, qui existimant, B. Virginem propter intimam suam conjunctionem ad Christum, ejusque maternitatem, posse saltèm cultu interno adorari latria respectiva; sed non videtur communis hæc opinio, magisque standum est commui praxi Fidelium, & sensui Ecclesiæ, quæ B. Virginem veneratur cultu quidèm inferiore ad divinum, quia est creatura, sed superiore ad alios Sanctos, scilicèt hyperdulia, quia est excellentissima creatura, non solùm ratione plenitudinis gratiæ, sed etiam maternitatis Dei. Et sic media via incedit inter duas hæreses, scilicèt Antidico-marianitarum, qui nimis humilitèr de illa sentiebant, apud Epiphan. hæresi 77. & 78. & Collyridianorum, qui, in aliud extremum declinantes honores divinos ipsi deferebant, Collyridas, seu Placentas ei efferentes in Sacrificia, apud eumdem Epiphan. Hæresi 79.

SUMMA

DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE SACRAMENTIS in communi ex Conciliis Florentino, & Tridentino.

Decretum Concilii Florentini pro instructione Armenorum (*Sub Eugen. IV. anno 1439.*)

"NOvæ Legis (S. Thomas Opusc. 5.) septem sunt Sacramenta: videlicèt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multùm a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem; duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualitèr renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in Fide: renati autèm, & roborati nutrimur divina Eucharistiæ alimonia. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualitèr sanamur: spiritualitèr etiam, & corporalitèr, prout animæ expedit, per Extremam-Unctionem: per ordinem verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualitèr: per Matrimonium corporalitèr augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicèt, rebus tanquàm materia, verbis tanquàm forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile: undè in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Canones Concilii Tridentini de Sacramentis in communi, (*Sess. 7. 3. Martii* 1547. *sub Paulo III.*)

"*I.* SI quis dixerit: Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu-Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicèt, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè, propriè Sacramentum; anathema sit.

"*II.* Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus enterni, anathema sit.

"*III.* Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ità esse inter se patria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.

"*IV.* Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licèt omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.

"*V.* Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.

"*VI.* Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quadam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

"*VII.* Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta sempèr, & omnibus, quantùm est ex parte Dei, etiam si ritè ea suscipiant; sed aliquandò, & aliquibus; anathema sit.

"*VIII.* Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam; sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.

"*IX.* Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicèt, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, undè ea iterari non possunt; anathema sit.

"*X.* Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis, habere potestatem; anathema sit.

"*XI.* Si quis dixerit, in Ministris, dùm Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltèm faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.

"*XII.* Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit.

"*XIII.* Si quis dixerit, receptos, approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.
D. Thom. Quæst. 60. ad 66.

POst considerationem eorum (*Quæst. 60. in Proœm*) quæ pertinent ad mysteria Verbi Incarnati, considerandum est de Ecclesiæ Sacramentis, quæ ab ipso Verbo Incarnato habent efficaciam. Et 1. de Sacramentis in communi. 2. De unoquoque Sacramentorum in speciali. De Sacramentis in communi quinque consideranda sunt. 1. Quid sit Sacramentum. 2. De necessitate Sacramentorum. 3. De effectibus Sacramentorum. 4. De causa eorum. 5. De numero. Undè sit

DISSERTATIO I.
DE QUIDDITATE SACRAMENTI.
D. Thom. Quæst. 60.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramentum sit in genere signi?

SAcramentum (*Ibid. art. 1. o. ad 2. & 3.*) a sacro, & maximè occulto pictum, quasi *sacrum secretum*, multipliciter sumi potest; vel pro eo, quod habet in se sanctitatem; vel pro eo, quod dicit ordinem ad hanc sanctitatem, sive signi, sive causæ, sive aliam quamcumque habitudinem; sicùt a sanitate, quæ est in animali, denominatur sanum non solùm animal, quod est sanitatis subjectum, sed dicitur medicina sana in quantùm est causa sanitatis, & urina in quantùm est signum sanitatis. Undè olim apud priscos Latinos Sacramentum sumebatur pro pecunia, quàm litigantes deponebant in loco sacro; & quæ peribat ei, qui causa cadebat. Ità Cicero in Orat. pro Milone. Apud Jurisperitos sumitur pro juramento. In Scripturis sumitur frequentèr pro ipsa re sacra occulta: sic Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Apud Patres, Concilia, & Theologos sumitur pro signo rei sacræ; sic etiam in Scriptura Ephes. 5. conjunctio viri, & mulieris dicitur *magnum Sacramentum*, id est, signum conjunctionis Christi cum Ecclesia: & 1. Tim. 3. Incarnatio dicitur *magnum pietatis Sacramentum*, hoc est, signum. Undè Hæretici infundatè nobis exprobrant novitatem hujus vocabuli. Signum instrumentale scilicèt apud Logicos ex August. est id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Quæstio est igitùr, utrùm Sacramentum, proùt hìc sumitur, & proùt de illo agunt Patres, Concilia, & Theologi, sit in genere signi, & non causæ, sicque debeat definiri per signum tanquàm per genus, & non per causam.

Dico: (*Hìc art. 1. & 2. o.*) Sacramentum, hoc est, cæremonia illa sacra a Deo instituta, quam Sacramentum, vocamus, est in genere signi, sicque rectè definitur *signum rei sacræ sanctificantis nos.* Signum est genus, de quo in præsenti Art. cæteræ particulæ differentia, de quibus art. seq. Prob. 1. Loquimur hìc de Sacramento, proùt est quid commune univocum Sacramentis, veteris, & novæ Legis; atqui ratio signi, non ratio causæ, est quid commune univocum Sacramentis veteris, & novæ Legis: ergo. Prob. Min. Sacramenta veteris Legis; non sunt causa gratiæ, nisi impropriè, & moralitèr; propriè autèm sunt signa: ergo.

Prob. 2. De ratione Sacramenti, proùt est a Deo institutum, est, quòd sit aliquid externum sensibile dicens ordinem ad rem sacram; atqui id non requirit ratio causæ, sed benè ratio signi inter homines: ergo Sacramentum jure reponitur in genere signi, & non causæ. Major est certa, quia Deus instituit Sacramenta, tàm veteris, quam novæ Legis, tamquàm cæremonias exteriores Religionis, & illius protestativas, ut patet in immolatione Angeli Paschalis, in Circumcisione, & in omnibus Sacramentis novæ Legis. Undè Aug. l. 19. contra Faust. c. 11. *In nullum*, inquit, *Religionis nomen coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Minor etiam patet: quia ratio causæ abstrahit ab hoc, quod sit spiritualis, vel sensibilis: Deus enim, qui est prima causa sanctificationis nostræ, spiritus est, spiritualemque actum æquè, ac corporalem assumere potuit ad illam instrumentaliter causandam; secùs autèm de signo inter homines, quia connaturale est homini in hac via sensibus utenti, ut per sensibilia deveniat in cognitionem insensibilium.

Solvuntur objectiones.

OBj. 1. S. Thom. in 4. d. 1. art. 1. quæstiunc. 3. àpprobans definitionem Sacramenti, datam a Magistro Sent. quæ est hæc. *Invisibilis gratiæ visibilis forma, ut imaginem gerat, & causa existat*, dicit: *Definitio illa completissimè rationem Sacramenti designat, proùt nùnc de Sacramentis loquimur: ponitur enim efficatia sanctitatis in hoc, quod dicitur, ut causa existat. &c.* Et in Resp. ad 5. *Sacramentum*, inquit, *non dividitur per Sacramenta veteris, & novæ Legis, sicùt genus per species, sed sicùt analogum in suas partes, ut sanum in habens sanitatem, & signans eam: Sacramentum autèm simplicitèr est, quod causat sanctitatem; quod autèm signat tantùm, non est Sacramentum nisi secundum quid; & ideò esse causam, potest poni in definitione Sacramenti, sicùt habens sanitatem in definitione sani.* Ergo. Respondent Dom. Soto, Cabrera, Joann. a S. Thom. & alii, S. Thomam, re attentiùs inspecta, hanc sententiam retractasse in sua Summa, cùm in hoc art. expressè doceat contrarium, & art. seq. itèm art. 3. q. sequentis doceat, Sacramenta veteris Legis esse propriè, & univocè Sacramenta. Sed absquè eo quod recurramus ad retractationem. R. 2. S. Thomam ibi agere vices commentatoris, variasque Sacramentorum definitiones explicare, quæ cùm continerent nedùm quod in Sacramentis est formale, scilicèt rationem signi, sed etiam id, quod est materiale, & adjunctum, scilicèt rationem causæ, juxta illas dixit S. D. rationem Sacramenti, nimirùm quoad materiale, & formale compleri per rationem causæ, & signi; & id, quod significat tantùm, non esse Sacramentum, nisi secundum quid, & analogicè convenire cum Sacramentis novæ Legis. Hìc autèm partes Magistri agens, & tradens definitionem Sacramenti secundum id, quod in eo formale est tantùm, alitèr locutus est.

Obj. 2. Sacramentum non est signum naturale, neque ad placitum. Non naturale; naturalitèr enim illæ cæremoniæ non significant gratiam sanctificantem. Non ad placitum, quia signum ad placitum est ens rationis, scilicèt, relatio significationis ad significatum; Sacramentum autèm non est ens rationis: ergo. R. N. Ant. pro 2. parte. Ad probat. D. Min. Sacramentum pro materiali non est ens rationis, C. pro formali, N. Est enim significatio relatio rationis ad significatum, ut dictum est: nec tamèn dici debet ens rationis, simplicitèr, & absolutè, sed cum addito tantùm, scilicèt secundum suum formale: (*In 4. d. 1. q. 1. art. 1. quæstiunc. 5. ad 1.*) Quia concreta accidentalia, & artefacta, qualia sunt Sacramenta, licèt constituantur per formam, non tamèn supponunt in prædicatione pro forma, sed pro materia, seu subjecto: sic falsum esset dicere simplicitèr, & absolutè, cathedra est figura, album est accidens, simus est curvitas nasi, &c.

Inst. Signum dicitur simplicitèr ens rationis; atqui Sacramentum secundum nos dicitur simplicitèr signum: ergo. R. N. Maj. Quia signum sicùt Sacramentum est concretum accidentale supponens pro substrato materiali, quod est ens reale. Falsum enim est dicere, signum est significatio; quæ tamèn significatio est ipsum ens rationis.

Repones: Saltèm juxta nos non sunt Sacramenta nisi dependentèr ab intellectu, quod est absurdum; cum, nullo intellectu cogitante, Sacramenta permanentèr sint in Ecclesia ab institutione Christi. Prob. Ant. Ex dictis, Sacramenta constituuntur formalitèr per ens rationis, quod nullum habet esse nisi per intellectum fingentem: ergo. R. D. Ant. Non sunt Sacramenta nisi dependentèr ab intellectu quoad conceptum entitativum, C. quoad conceptum denominativum, N. vel ut ante: quoad suum formale, C. quoad suum materiale, N. Istud autèm materiale denominatur Sacramentum independentèr ab intellectu; quia entia rationis ratiocinatæ, maximè quæ sequuntur ad denominationes extrinsecas ab aliquo actu humano provenientes, licèt, quoad esse actuale rationis non sint nisi per intellectum, tamèn ratione sui fundamenti denominantur talia independentèr ab intellectu: sic, posita semèl institutione Judicis aut Doctoris, dicitur homo permanentèr Judex aut Doctor; posita semèl institutione vocum ad significandum, dicuntur signa in libro clauso. Hìc autèm sensus communis atque doctrina fundatur in hoc principio D. Thom. (*In 1. d. 2. q. 1. art. 3. ad 5.*) *ea, quæ pendent a ratione ratiocinata, duplicem habent firmitatem, scilicèt firmitatem sui esse, & hanc habent ab intellectu; & firmitatem suæ veritatis, & hanc habent ex re, cui conformantur*, seu ex suo fundamento. Igitùr hoc ipso quò entia rationis habent fundamentum proximum, ità quòd non chymericè, sed cum fundamento conveniant subjecto, habent sufficiens esse ad denominandum absolutè, & simplicitèr; quia, quamvis non habeant formalissimum esse existentiæ, quod tantùm consequuntur per intellectum, attamèn independentèr a cognitione habent convenire subjecto, non fictè, sed mediante fundamento, quod subjectum habet, ut ipsi tribuatur tale ens rationis; & ità in his entibus alia est ratio conveniendi, & denominandi, alia existendi.

Obj. 3. Genus, quod est ens rationis, non potest contrahi per differentiam realem; atqui differentia contrahens Sacramentum ut sic est realis: ergo. Prob Min. Differentia specifica Sacramentorum novæ Legis a Sacramentis veteris Legis est, quòd illa causent gratiam, non ista, definit Conc. Florent. in Decreto Eug. IV. causare autèm est quid reale: ergo R. N. Min. Ad Prob. N. Min. Et assigno aliam differentiam specificam, & essentialem, scilicèt, significare gratiam tali modo, nempè præsentem dandam vi passionis Christi jam adimpletæ per ipsa signa sacramentalia; quod non competit Sacramentis veteris Legis. Verùm, quamvis esse causativum gratiæ non sit essentiale Sacramentis novæ Legis, non negamus tamèn id ipsis per se competere, & non merè accidentalitèr. Id autèm variè a variis explicatur. Dom. Soto vult, *causare* esse propriam passionem Sacramentorum novæ Legis: Serra id ipsis competere ratione materiæ: alii esse conditionem requisitam ex institutione Christi, aut ut modum completivum significationis eorum. Has intelligentias non improbo, sed subjicio sequentem. Sacramenta novæ Legis possunt considerari duplicitèr. 1. præcisè a secundùm rationem signi, & talis signi; ità ut attendatur solum id, quod est in latitudine signi, secundùm genus, & speciem signi. 2. Secundùm quod includunt non solùm institutionem signi, sed talem institutionem a Christo, qua voluit, ut id, quod instituebat in signum gratiæ, foret etiam illius causa, & suæ passionis instrumentum. Itaquè considerando Sacramenta novæ Legis 1. modo, causare non est ipsis essentiale formalitèr, quia causare est extra genus signi; sed est tantùm essentiale præsuppositivè, quatenùs significant gratiam dandam, non utcumquè, sed dandam per ipsamet Sacramenta; quæ significatio vera non foret, si non præsupponatur, quòd causent gratiam. Considerando autèm illa 2. modo, causare convenit ipsis per se essentialitèr formalitèr; non equidèm ex ipsa ratione signi, & Sacramenti, ut dictum est, sed ut sunt novæ Legis, & subordinata tali institutioni Christi, qui voluit, ut essent simùl Sacramenta, & suæ passionis instrumenta. Igitùr ad Conc. Florent. non dixit, Sacramenta novæ Legis differre essentialitèr formalitèr in ratione Sacramenti a Sacramentis veteris Legis per hoc, quòd priora causent gratiam: undè, ut salvetur ejus auctoritas, sufficit quòd per illud differant tanquàm per adjunctum aut præsuppositum ex tali institutione Christi, aut aliquo alio modo ex prædictis.

Inst. 1. Esse causativum gratiæ est essentiale formalitèr Sacramentis novæ Legis in ratione Sacramenti: ergo. Probat. Ant. Est essentiale formalitèr Sacramentis novæ Legis esse signa practica gratiæ; atqui practicare est causare; praxis enim est operatio: ergo. R. 1. Argumentum nihil concludere, quia esse signum praticum convenit etiam Sacramentis veteris Legis, ut dicemus. R. 2. N. Ant. Ad Prob. D. Min. Practicare est causare per se, vel per aliud, C. semper per se, N. Signum dicitur speculativum, vel practicum ab intellectu speculativo, vel practico, quippè cujus est instrumentum ad manifestandum suos conceptus: intellectus ènim conceptus suos per signa a se derivata explicat. Sicùt igitur dicitur intellectus practicus, non quia per se causat opus, causatur enim per potentias exteriores, sed quia cognoscendo dirigit potentias exteriores ad illud efficiendum, & in sola speculatione objecti non sistit; ita signum dicitur practicum, non quia facit opus, id enim, ut jam dixi, est extra latitudinem signi; sed quia ex mente instituentis significat, non præcisè ad manifestationem significati, sic enim foret signum speculativum tantùm, sed in ordine ad illius confectionem, sive interim per illud signum, sive per aliud. Sic, v. gr. promissio exterior, seu contractus, aliquid dandi, vel faciendi est signum practicum; at-

tamèn neque promissio neque contractus dat, aut facit, sed significat tantùm in ordine ad donationem aut confectionem significati, & non ad solam ejus manifestationem.

Inst. 2. Imagines sacræ, concio, & alia plura significant in ordine ad opus, excitant enim ad devotionem, & sanctitatem; atqui tamèn non sunt ideò signa practica: ergo. R. D. Maj. (*In 4. d. 1. q. 1. art. 1. q. 1. ad 3.*) Significant in ordine ad opus per se, & ex mente instituentis, N. per accidens, & ex mente alterius agentis, C. Imagines enim, & voces, quæ in concione adhibentur, ex institutione sua habent tantùm repræsentare, & manifestare; sed quia præsupponuntur repræsentativa, & manifestativa, assumuntur ab alio agente in ordine ad opus aliquod: at signum, quod dicitur practicum, habet ex mente instituentis, quòd significet, non solùm ad manifestandum significatum, sed etiam ut in finem dirigatur, & executioni mandetur.

Inst. 3. Sacramentum dicitur a sacrando, sicùt medicamentum dicitur a medicando, seu a medicina; atqui hoc pertinet ad rationem causæ, & non signi: ergo. R. N. Maj. (*Hìc art. 1. ad 1.*) Quam licèt admiserit S. Thom. in 4. q. 1. partes commentatoris agens, ut diximus, hìc tamèn illam negat; & docet, Sacramentum dici a sanctitate, quæ non significatur per modum causæ efficientis. Medicina autèm, a qua dicitur medicamentum, se habet ut causa effectiva sanitatis: undè omnia, quæ ab illa denominantur, dicuntur per ordinem ad unum primum agens.

Inst. 4. Sanctitas, a qua dicitur Sacramentum, se habet etiam ut causa, saltèm formalis: ergo, sicùt medicamentum, quod dicitur a medicina ut a causa efficiente, ponitur in genere causæ, & non signi, ità & Sacramentum. R. N. Cons. Disparitas est, quòd, quæ denominantur ab aliquo primo in genere causæ efficientis, possunt ab ea participare rationem causæ efficientis, quia hæc est communicabilis, ut patet in instrumentis, & adjuvantibus; quæ omnia induunt rationem causæ efficientis: at verò, quæ denominantur ab uno principali in genere causæ formalis, non possunt vi talis denominationis importare rationem causæ; quia causalitas formalis ipsi soli formæ informanti convenit, alteri verò, quod non est forma, communicari non potest.

Inst. 5. Causare est quid principalius in Sacramentis, quàm significare: ergo Sacramentum debet potiùs poni in genere causæ, quàm signi. R. N. Conseq. Quia, licèt causare gratiam sit quid principalius, & ex hoc capite possit dici Sacramentum; sicùt medicina dicitur sana, quia causat sanitatem in animali; quia tamèn non est quid commune univocum omnibus Sacramentis, nec secundùm se requirit, quòd sit aliquid externum sensibile, quale debet esse Sacramentum, ut diximus, ideò non potest esse genus in definitione Sacramenti.

Inst. 6. Character sacramentalis, & Corpus Christi in Eucharistia sunt Sacrameta; atqui tamèn non sunt signa sensibilia: ergo. R. Characterem sacramentalem (*In 4. d. 1. q. 1. art. 1. q. 3. ad. & infr. quæst. 63. art. 1. ad 2.*) & Corpus Christi in Eucharistia non dici Sacramenta, nisi secundùm quòd conjunguntur signis sensibilibus, character ordinationi, corpus Christi speciebus panis, & vini.

ARTICULUS II.

Quale Signum sit Sacramentum?

ARticulo præc. expedivimus, quæ spectant genus Sacramenti, in hoc quærimus de ejus differentia. S. Thom. in hoc eodem Art. 2. resolvit, omne signum rei sacræ, quà sanctificantis homines, esse Sacramentum, sicque reponit ejus differentiam in his particulis, *Rei sacræ sanctificantis homines.* Ad cujus majorem elucidationem dico: Sacramentum est signum ad placitum, practicum, sacrum tàm ex parte rei significantis, quam ex parte rei significatæ, permanens, & stabile. Probantur, & explicantur singulæ partes.

Signum ad placitum.

RAtio est: *Hìc art. 5. o.*) quia, quamvis ratio Sacramenti fundetur in aliqua similitudine rei significantis ad rem significatam; v. gr. ablutionis corporalis ad ablutionem spiritualem in Baptismo: (quo sensu intelligendus est Aug. Epist. 23. dicens: *Sacramenta habent quamdam similitudinem earum rerum, quarum sunt Sacramenta; quam si non haberent, omnino Sacramenta non essent:* quia nempè Deus sic, & non alitèr instituit) numquàm tamèn res corporalis potest ex natura sua determinatè significare, præsertim modo sacramentali, & practico, rem spiritualem, qualis est gratia, & sanctificatio nostra. Quod posset opponi, solutum est art. præc. Obj. 2.

Signum Practicum.

QUO sensu (*Art. 2. o. ad 1. & 2.*) intelligendum sit practicum in signo, declaratum est art. præc. Obj. Inst. 3. Inst. 1. Prob. (*Ibid.*) Sacramentum nedùm novæ Legis, sed & veteris, a Deo institutum est, non ad meram repræsentationem rei sacræ ut imago aut figura aliqua, sed ad sanctificationem hominum, & ut illud suscipientes ejus usu sanctificarentur: *Signum rei sacræ*, inquit Auctor, *in quantùm sanctificantis homines*: ergo.

Signum sacrum ex parte rei significantis.

HOC est Cæremonia sacra (*Hic art. 4. ad 2. & 1. 2. q. 102. art. 5.*) ad cultum Dei ordinata; quia, ut dictum est, Sacramenta sunt instituta tanquàm cæremoniæ Religinis protestativæ. (*Ibid.*) Et in hoc partìm differt Sacrificium a Sacramento, quòd Sacrificium immediatè ordinetur ad cultum Deo exhibendum, Sacramentum verò ad disponendum ipsos cultores. Undè suscipientes quodammodò iis consecrantur, non per veram causalitatem efficientem aut formalem intrinsecam: sed per deputationem, seu denominationem extrinsecam: sicùt consecrari, & sanctificari dicuntur, quæcumque cultui divino deputantur.

Si inferas: ergo Sacramentum pertinet ad virtutem Religionis, & consequentèr ad genus qualitatis. R. Id posse concedi ratione materiæ, non formæ; nihil enim obstat, quin eadem res secundùm diversas considerationes pertineat ad diversa prædicamenta. Sic in subjecta materia, Baptismus v. gr. si consideretur ut actio, pertinet ad prædicamentum actionis; si in ordine ad significandam gratiam, ad genus signi; si ut ordinatur ad cultum divinum, ad virtutem Religionis. Attamèn, cùm sit cæremonia externa, non pertinet ad Religionem formalitèr, sed objectivè, ità ut ejus usus debeat quidèm esse religiosus, possit tamèn non esse religiosus, sicque esse Sacramentum sine actu religioso, ut in malo ministrante, aut malo suscipiente. Undè reponi debet in genere signi, & non in genere Religionis, seu qualitatis.

Signum sacrum ex parte rei significatæ.

PAtet ex definitione Sacramenti, quod dicitur, *Signum rei sacræ.* (*Hic art. 1. & 2. o.*) Sed difficultas est, cujus rei sacræ; àn sanctitatis tantùm imperfectæ, seu legalis, ut opinantur Cano, & Bellarminus; àn perfectæ sanctitatis per gratiam sanctificantem? R. (*Ibid. art. 2. o.*) Esse signum perfectæ sanctitatis per gratiam habitualem, & quidèm in ipso usu Sacramenti conferendæ, hoc est, sanctificationis actualis.

Prob. 1. pars. 1. ex definitione Sacramenti, tradita a D. Thom. & communitèr recepta, quòd sit *Signum rei sacræ sanctificantis homines*: Sanctificatio autèm legalis, seu alia quæcumque distincta a sanctificatione per gratiam habitualem, non est nisi impropia sanctificatio. 2. Quia alias sequeretur, Ecclesiam, & non solùm Deum, posse instituere Sacramenta; cum ipsa possit instituere, & de facto instituat cæremonias sacras significativas legalis, & perfectæ sanctitatis, ut est dispensatio ab irregularitate, absolutio ab excommunicatione, Tonsura clericalis, &c. 3. Quia significare sanctitatem legalem convenit multis aliis, quæ non sunt Sacramenta; ut patet in exemplis mòx citatis, & in innumeris cæremoniis antiquæ Legis. Neque refert, sanctitatem legalem esse propriam statui Legis Mosaicæ: ita enim erat illi propia, ut esset tamen dispositio ad aliam perfectam, etiam in illo statu acquirendam.

Prob. 2. pars. Quantùm ad Sacramenta novæ Legis admittitur ut certa, cùm sint propriè causa gratiæ, ut dicemus infrà. Prob. de Sacramentis veteris Legis. 1. Ex D. Thom. hìc art. 2. definientem Sacramentum, quòd sit *signum rei sacræ*, *in quantùm* hæc res sacta *est santificans homines*, hoc est, rei sacræ formalitèr, & reduplicativè sanctificantis: ergo in ipso usu. Et in 4. d. 1. q. 1. quæstiunc. 1. ad 3. dicit, serpentem æneum non fuisse Sacramentum, quia, *quamvis esset signum rei sacræ sacrantis*, *non tamen in quantùm est sacrans actu.* 2. Omnia Sacrificia, omnes cæremoniæ Legis Mosaicæ, utpotè umbræ futurorum, Christum præfigurabant, adeòque & gratiam suo tempore dandam, & tamèn non erant Sacramenta. 3. Tandèm Sacramentum Legis novæ institutum ad deletionem peccati originalis, circumcisio Legis scriptæ in eumdem finem, certò significabant gratiam in ipso usu conferendam, sine qua non potuisset deleri peccatum originale: eadem autèm est ratio de aliis Sacramentis.

Dices 1. Concilium Florent. in Decreto Eug. IV. definit, Sacramenta veteris Legis non causasse gratiam, sed solùm per Passionem Christi dandam figurasse. 2. S. Thom. hìc art. 2. ad 2. dicit, immolationem Agni Paschalis esse Sacramentum, quia significabat immolationem Christi, *qua sanctificati sumus*: non dicit, qua sanctificati sunt Judæi. 3. Art. 1. ad 1. dicit, sanctitatem significari in Sacramentis *per modum causæ formalis*, *vel finalis*: quæ autem confertur in ipso usu, est sempèr formalis. 4. In 4. d. 1. q. 1. quæstiunc. 1. ad 4. dicit, quòd *Sacramenta veteris Legis erant totalitèr signa prognostica*: ergo non conferebatur gratia præsens in eorum susceptione. R. Ad 1. tò *solùm* in verbis Concilii excludere tantùm a Sacramentis veteris Legis vim propriam causandi gratiam, qualem habent Sacramenta novæ Legis; non autèm ejusdem gratiæ collationem in ipso eorum usu, virtute Passionis Christi futuræ. Undè per *gratiam dandam per Passionem Christi* non intelligit gratiam dandam nùnc nobis post Passionem Christi, sed gratiam dandam tùnc, merito tamèn Passionis Christi futuræ. Ad 2. tò *sanctificati sumus* in verbis D. Thom. non est referendum ad nos solos homines, qui post Passionem Christi sanctificati sumus, sed ad totum Genus humanum. Sicùt, cùm dicimus, quòd *sanguine Christi redempti sumus*, intelligimus totum genus humanum. Ad 3. S. Thom. locutus est abstrahendo a causa formali, vel finali, non autèm excludendo unam ad positionem alterius: quia nihil impedit, quin eadem gratia sit simùl causa formalis, & finalis; quæ enim est formalis, simùl est finalis, & quæ est finalis, si actu habeatur, est etiam formalis: si verò actu non habeatur, non est defectu Sacramenti, sed suscipientis ponentis obicem. Undè non intellexit S. D. de gratia per modum causæ finalis utrumque, sed in quantùm est sanctificans homines, hoc est, suscipientes, ut dicit in definitione Sacramenti: talis autèm gratia in ipso usu Sacramenti confertur, si nihil obstet ex parte suscipientis. Dici etiam potest, gratiam significari ut causam finalem in ordine ad Legem antiquam secundùm se, respectu cujus gratia est finis; significari autèm ut causam formalem respectu suscipientis. Ad 4. Adhibenda est eadem solutio, scilicèt, Sacramenta veteris Legis esse totalitèr prognostica respectivè ad ipsam legem, in qua omnia contingebant in figura futuræ legis novæ, non autèm respectivè ad suscipientes. Potest etiam dici, sensum esse, quòd in tribus significatis, quæ S. D. ibi tribuit Sacramentis veteris Legis, scilicèt Passione Christi, gratia, & gloria, sit aliquid futurum, licèt non omne, quod in eis importatur, sit futurum. Sic significant Passionem Christi, & gloriam ut futura, gratiam autèm significant equidèm ut præsentem, sed tamen in illo significato importatur aliquid futurum, nempè Passio Christi, quia significant gratiam dandam vi Passionis Christi futuræ: undè sunt prognostica *totalitèr* quoad omnia significata, sed non quoad omnia importata in significatis. Alterutram solutionem esse admittendam in sensu D. Thom. liquet ex Resp. immediatè præcedente, in qua disertè dicit, Serpertem æneum non fuisse Sacramentum, quia, *quamvis esset signum rei sacræ sacrantis*, *non tamèn in quantùm sacrans est actu.*

Signum stabile, & promanens.

QUia Sracramenta, ut dictum est, sunt cæremoniæ Religionis, &, ut dicit Aug. fundamenta stabilis Ecclesiæ, per quæ Fideles in una Religione permanentèr colligantur: ergo debent permanere, quandiù permanebit Religio.

Consectaria præcedentis Doctrinæ.

EX dictis colliges 1. Nos rectè cum Auctore definivisse Sacramentum *Signum rei sacræ nos sanctificantis.* Intellige signum ad placitum, permanens, & practicum actu gratiæ nos perfectè sanctificantis. *Signum* est genus supremum, per quod Sacramentum convenit cum omnibus signis: *Signum rei sacræ*, genus infimum, per quod convenit cum pluribus signis rei sacræ, quæ non sunt Sacramenta: *Nos sanctificantis*, differentia, per quam ab illis differt.

Cum hac definitione coincidit hæc tradita in Jure D. 2. de Consecr. cap. *Sacrificium. Invisibilis gratiæ formæ xisiviiis.* Itèm hæc communis: *Invisibilis gratiæ signum sensibile*, *ad nostram sanctificationem divinitùs institutum.* A Trid. Sess. 13. cap. 3. definitur: *Symbolum rei sacræ*, *& invisibilis gratiæ forma visibilis*, *sanctificandi vim habens.* A Catech. Rom. *Res sensibus subjecta*, *quæ ex Dei institutione sanctitatis*, *& justitiæ tùm significandæ tùm efficiendæ vim habet.* Hæ duæ ultimæ definitiones propriæ conveniunt tantùm Sacramentis novæ Legis.

Dices: Sacramentum est ens, seu aggregatum per accidens ex rebus, & verbis, ex ente reali, & rationis: ergo non est definibile. R. D. Sacramentum est ens per accidens in genere physico, C. in genere morali, seu artefacti, N. Ut enim dicatur ens per accidens, non sufficit, quòd plura contineat, sed requiritur, quòd illa contineat sine ordine ad unum, ut acervus lapidum. Sacramentum autèm plura continet, sed cum ordine ad unam significationem; undè est ens per se definibile in ratione signi, seu artefacti. Sicùt v. gr. domus, quia di- ver-

versas partes continet in ordine ad unam figuram, est ens per se definibile in ratione artefacti.

Colliges 2. Sacramenta non esse tantùm sigilla divinæ promissionis, seu testimonia justitiæ acceptæ, ut volunt Hæretici. 1. Quia sigilla, & testimonia alicujus rei ea debent esse certiora, & clariora: Sacramenta autèm non sunt clariora, & certiora divinis promissionibus, quæ continentur in Scriptura sacra, a qua e contra Sacramenta habent suam certitudinem. 2. Qui fictus suscipit Sacramenta, non certificatur de obtenta justitia: ergo Quandoquè tamèn dicuntur sigilla a SS. Patribus, sed hoc sensu quòd Fideles ab infidelibus distinguant. Si dicas, circumcisionem fuisse Abrahamo *Sigillum justitiæ fidei*, ut dicit Apost. Rom. 4. R. id verum esse ex speciali privilegio respectu Abrahæ tantùm, eò quòd esset futurus Pater credentium; non verò respectu posterorum. Undè idem Apost. Rom. 3. varia privilegia, & utilitates circumcisionis recensens omittit, quòd sit testimonium justitiæ acceptæ; non omissurus, si ità esset.

Colliges 3. Plura, (*In 4. d.* 1. *q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3.*) quæ tamèn sunt signa rei sacræ, excludi a ratione Sacramenti. 1. Excluduntur omnia Scripturæ verba, cruces, & imagines sacræ; quia sunt instituta tantùm ad repræsentandum, & non ad significandum practicè gratiam qua sanctificantem. 2. (*Ib.*) Excluduntur transitus per mare rubrum, petra fundens aquas, manna, serpens æneus, & similia; quia non adhibebantur, ut aliquis sanctificationis effectus actu perciperetur, sed solùm effectus alicujus beneficii temporalis, ut curatio, cibatio, refrigeratio, &c. 3. Excluduntur hæc Christi verba ad Magdalenam, *Remittuntur tibi peccata*, lotio pedum, descensus columbæ, linguæ igneæ, insuflatio in Discipulos; quia, licèt fortè hæc fuerint signa practica gratiæ, non sunt tamèn instituta, ut cæremoniæ religiosæ, permanentèr observandæ in Ecclesia. De lotione pedum fusiùs infrà, dùm de numero Sacramentorum. 4. Excluduntur innumeræ cæremoniæ veteris Legis; quia significabant tantùm emundationem ab aliquo impedimento, seu immunditia legali, seu sanctitatem legalem, & imperfectam, non perfectam per gratiam: vel, ut dicit Auctor (*Hic art. 2. ad 2.*) significabant sanctitatem Christi, quà sanctus est, non verò sanctitatem, qua per ea sanctificamur. Undè, si aliquandò a Patribus dicantur Sacramenta, est impropria locutio. 5. Excluduntur aspersio aquæ benedictæ, consecratio Altaris, & alia Sacramentalia; tùm quia non ex seipsis, nec ex institutione divina, sed tantùm ex pietate operantis, aut ex suffragiis Ecclesiæ vim aliquam habent in ordine ad sanctitatem; (*Ib. ad 3.*) tùm quia significant tantùm dispositionem ad sanctitatem, & non perfectionem sanctitatis: res autèm denominatur a fine, & complemento. 6. Excluditur Sacrificium; quia Sacrificium primariò ordinatur ad cultum ipsi Deo in se exhibendum; Sacramentum autèm ad sanctificationem hominum. Nihil impedit tamèn, quin idem possit esse simùl Sacrificium, & Sacramentum sub diversa ratione; & sic est Eucharistia in nova Lege: sic etiam erat in antiqua immolatio Agni Paschalis Fuisse Sacrificium, constat: fuisse etiam Sacramentum tradit Auctor hìc art. 3. & q. 73.

Colliges 4. Sacramenta nostra univocè convenire cum Sacramentis antiquæ Legis in ratione Sacramenti; quia utrimque sunt signa practica gratiæ sanctificantis, ut explicatum est Art. 1. Obj. 3. Inst. 1. Et quod posset opponi ex D. Thom. solutum est ibid. Obj. 1.

Petes; utrùm Saccamentum sit signum unius rei tantùm? R. (*Ibid. art. 3. o.*) Sacramentum tria significare, passionem Christi, gratiam sanctificantem, & gloriam. Prob. (*Ib.*) Sacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad significandam sanctificationem nostram, seu rem sacram, in quantùm est nos sanctificans; patet ex dictis: atqui in sanctificatione nostra tria possunt considerari, videlicèt, ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi, & forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia, & ultimus finis sanctificationis nostræ, quæ est vita æterna: ergo Sacramentum hæc tria significat. Itaquè Sacramentum novæ Legis (*Ib.*) est signum rememorativum ejus, quod præcessit, scilicèt, Passionis Christi; demonstrativum ejus, quod in nobis efficitur per Passionem Christi, scilicèt, gratiæ; & prognosticum, seu prænuntiativum futuræ gloriæ, juxta illud, quod ex eodem S. Doctore canit Ecclesia: *O sacrum convivium! in quo Christus sumitur*, *recolitur memoria passionis ejus*, *mens impletur gratia*, *& futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Sacramentum autèm veteris Legis, licèt etiam hæc tria significet, primum tamèn diverso modo; est enim prognosticum, non rememorativum Passionis Christi.

Dices: Sacramentum non est signum ambiguum, aliàs præberet occasionem fallendi; atqui quod plura significat, est signum ambiguum: ergo. R. D. Min. (*ib. ad 1.*) Quod significat plura, quorum unum non ordinatur ad aliud, est signum ambiguum, C. quod significat plura, secundùm quòd ex eis quodam ordine efficitur unum, N. Sic v. gr. hoc nomen homo non est signum ambiguum, licèt plura significet, scilicèt, animam, & corpus, quia illa significat proùt ex eis constituitur una natura humana. Similitèr Sacramentum significat tria præfata, secundùm quòd ordine quodam unum sunt, seu unum efficiunt, scilicèt, sanctificatione nostram.

Repones: Analogum non desinit esse analogum, & præbere occasionem fallendi, licèt plura significet, proùt dicunt ordinem ad unum: ergo paritèr Sacramentum R. N. Cons. Disparitas est, quòd ex eo quod analogum plura significet, proùt dicunt ordinem ad unum, non ideò denotat, quòd ex parte significati sit unum simplicitèr, sed quòd sint plura simplicitèr, inæqualitèr participantia unum principale commune, & sic solùm proportionalitèr, & secundùm quid unum. At Sacramentum non significat plura, proùt simpliciter dicunt ordinem ad unum principalius commune, quod inæqualitèr, & proportionalitèr participant; sed potiùs illa plura significat, ut ex eis ordine quodam unum efficitur: undè ex parte significati denotatur unum simplicitèr, sicùt in significato hujus vocis homo, ut dictum est.

Si quæras alteriùs, quodnam ex his tribus principaliùs significet Sacramentum? R. significare principaliùs, hoc est expressiùs, gratiam sanctificantem; quia illa formalitèr, & immediatiùs concurrit ad sanctificationem nostram; Passio Christi autèm, & gloria mediante tantùm gratia concurrunt.

ARTICULUS III.

Utrùm Sacramentum sit res sensibilis?

INtelligimus hìc rem sensibilem, proùt abstrahit a re propriè dicta, & verbo: ità ut sensus sit, utrùm Sacramentum sit signum sensibile, quodvis sit istud sensibile, sive res, sive verbum. Dico 1. Omnia Sacramenta tàm antiquæ, quàm novæ Legis, constant de facto rebus sensilibus. Patet 1. ex Scriptura, quæ omnia utriusque Legis Sacramenta exponit per res sensibiles. 2. Ex definitione Sacramenti, tradita in Jure, & a Conciliis Florent. & Trid. probata, scilicèt, quòd sit *Invisibilis gratiæ forma visibilis*, 3. Ex Aug. Tract. 80. in Joann. dicente de Baptismo, *Accedit verbum ad elementum*, *& fit Sacramentum.*

Dico 2. (*Hic art. 4. o.*) Ratio Sacramenti, ut est homini proprium atque accommodatum, necessariò exigit, ut instituatur in rebus sensibilibus. Prob. (*Ib.*) Sapientia divina unicuique providet secundùm modum suæ naturæ; undè dicitur Sap. 8. quòd *suavitèr disponit omnia;* & Matth. 25. quòd *dedit unicuique secundùm propriam virtutem*: atqui connaturale est homini, ut Sacramenta, quibus utitur, instituantur in rebus sensibilibus: ergo. Prob. Min. Connaturale est homini, ut per sensibilia perveniat ad cognitionem spiritualium, & intelligibilium; atqui res, quæ per Sacramenta significantur, sunt spirituales, & intelligibiles, quibus homo sanctificatur: ergo. Suadent plures congruentiæ. 1. Congruit homini, qui constat corpore, & anima, ut habeat Sacramenta corporea cum spiritu gratiæ. 2. Congruit omnipotentiæ Dei, quæ ostenditur in hoc, quòd sensibilibus rebus salutis remedium præstet. 3. Congruit justitiæ divinæ, seu humiliationi hominis, ut qui peccando subjecit se sensibilibus creaturis, in suo remedio etiam utatur rebus sensibilibus. 4. Congruit rationi Sacramenti, proùt est institutum ut cæremonia Religionis; cæremonia enim Religionis exhibenda Deo ab hominibus debet esse sensibilis, & exterior.

Dices: Deus potuit elevare actum internum, puta orationem internam, ut significaret, & causaret in nobis gratiam, id enim nullam involvit contradictionem; atqui iste actus interior in hac hypothesi foret Sacramentum; foret enim signum practicum gratiæ: ergo. Quidam negant Majorem, & dicunt repugnare dari signum, quod non sit sensibile; quia juxta definitionem Aug. *signum est id*, *quod præter speciem*, *quam ingerit sensibus*, *facit aliud in cognitionem venire.* Verùm respondent objicientes, id esse verum de signo inter homines usurpari solito, & ad hunc sensum illud definivisse Augustinum, at non de signo tota sua latitudine, quod sic debet definiri: *Id quod mediante sui notitia in alterius cognitionem deducit.* Ut ut sit de illa sententia; nec enim nos scrutari delectat, quid omnipotentia Dei possit absolutè. R. data Maj. D. Min.; atqui talis actus interior in hac hypothesi foret Sacramentum, proprium, & accomodatum Angelo, aut spiritui separato. C. proprium, & accommodatum homini, ut fert Conclusio, N. Solutio patet ex ratione Auctoris, qui etiam in Resp. 1. ad 1. addit, intelligibilia non habere, quòd sint signa (saltèm proùt instituuntur inter homines) nisi in quantùm sunt per aliud, id est, per aliquid sensibile, manifestata.

AR-

ARTICULUS IV.

Utrùm Sacramenta constent rebus, & verbis; & quomodò res, & verba in illis se habeant?

POsito, quòd Sacramentum sit quid sensibile; quærimus nùnc, quid sit istud sensibile, àn res, & verba; & quomodò se habeant in Sacramentis? Circà quod quadruplex est difficultas brevitèr resolvenda. 1. An in Sacramentis verba rebus convenientèr adjungantur? 2. & 3. Utrùm Sacramenta constent rebus, & verbis tamquàm ex materia, & forma, iisque ut partibus intrinsecis, & essentialibus? 4. Utrùm verba in Sacramentis sint concionatoria, àn consecratoria? Et hæ omnes difficultates spectant potissimùm Sacramenta novæ Legis, ut patebit ex mòx dicendis.

§. I. *Utrùm in Sacramentis verba rebus convenientèr adjungantur?*

INtellige res, & verba, vel formalitèr, vel æquivalentèr, ut explicabitur modò in sol. argumenti. (*Ib. art.* 6. *ad* 2.) Itèm intellige per *Res*, non solùm substantias physicas, ut est aqua in Baptismo, panis, & vinum in Eucharistia, oleum in Confirmatione; sed etiam actiones morales, ut sunt actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ, consensus mutuus contrahentium in Sacramento Matrimonii.

Dico: (*Ib. o.*) In Sacramentis, saltèm novæ Legis, verba rebus convenientèr adjunguntur. Prob. 1. (*In arg. s. c.*) Apost. Ephes. 5. dicit: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea... mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ.* Et Aug. jam citatus Tract. 80. in Joann. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Prob. ratione. (*Ibid. o.*) Sacramenta, quæ, ut dictum est, adhibentur ad hominum sanctificationem, ut quædam signa, possunt triplicitèr considerari, & quolibet modo congruit eis, quò verba rebus sensibilibus adjungantur: ergo. Prob. Ant. 1. Possunt considerari ex parte causæ sanctificantis, quæ est Verbum incarnatum, cui quodammodò Sacramentum conformatur in hoc, quòd rei sensibili verbum adhibetur, sicùt in Incarnatione carni sensibili est verbum Dei unitum. 2. Considerari possunt ex parte hominis sanctificandi, qui componitur ex corpore, & anima, cui proportionatur Sacramentalis medicina, quæ per rem visibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur: 3. Considerari possunt ex parte ipsius significationis sacramentalis: juxta autèm Aug. l. 2. de Doctr. Christ. c. 3. & rei veritatem, verba inter homines obtinuerunt principatum significandi; quia verba diversimodè formari possunt ad significandos diversos conceptus mentis; & propter hoc per verba magis distinctè possumus exprimere, quod mente concipimus. Ergo ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest, & ablutionem propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatem: sed, cùm dicitur, *Ego te baptizo*, manifestatur, quòd aqua utimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem.

Dixi: (*Ib. ad* 3.) *in Sacramentis saltèm novæ Legis;* eadem enim ratio non currit pro Sacramentis veteris Legis: quia, juxta Aug. l. 19. contr. Faust. c. 16. alia debent esse Sacramenta rei præsentis, & alia rei futuræ; rem enim præsentem clariùs manifestamus, quàm futuram. Sacramenta autèm veteris Legis prænuncia erant tantùm Christi venturi; & ideò non ità expressè significabant Christum sicùt Sacramenta novæ Legis, quæ ab ipso effluunt, & quamdam similitudinem ipsius in se habent ut dictum est; & idcircò in Sacramentis veteris Legis non adhibebantur verba, quæ ut diximus, principatum significandi obtinent: undè nec in ritu Circumcisionis, neque in immolatione Agni Paschalis ullum legimus verbum adhibitum. Utebantur tamèn in veteri Lege aliquibus verbis in his, quæ ad cultum Dei pertinent; sed erant cæremonialia, non sacramentalia; saltèm ut in pluribus.

Dices: Matrimonium in nova Lege perficitur ordinariè solis verbis; & potest perfici solis rebus sine verbis, ut nutibus in mutis. Itèm Sacramentum Pœnitentiæ potest perfici solis verbis ut in eo qui non habet nisi peccata linguæ confitenda, & contritionem suam solis verbis exprimit: ergo. R. res, & verba intelligi in Conclusione formalitèr, vel virtualitèr, seu æquivalentèr, ut notavimus. Itaquè per rem in Sacramentis intelligitur omne illud, quod vel est res propria, vel ponitur loco rei: per verbum intelligitur vel verbum proprium, vel quod ponitur loco verbi. Illud autèm dicitur poni loco rei, quòd se habet, ut determinabile, & complebile in ratione significandi per aliud clariùs significativum: illud dicitur poni loco verbi, quod est alterius minùs significativi determinativum, & completivum ad clariorem significationem; quia, ut dictum est, verba habent principatum significandi: & res in Sacramento se habet, ut modò dicemus, ut materiam, adeòque ut determinabilem; verbum autèm ut formam, adeòque ut determinativum. Cùm itaquè in Sacramento Pœnitentiæ verba pœnitentis se habeant ut determinabilia ad clariorem Sacramenti significationem per verba absolutionis ponuntur loco rerum, & sunt res virtualitèr. Idem dic de Matrimonio, in quo verba unius ut habent rationem traditionis, determinantur per verba alterius ut habent rationem acceptationis, ut dicemus suo loco: inter mutos autèm nutus, seu alia signa sunt æquivalentèr, & virtualitèr verba.

§. II. *Utrùm Sacramenta novæ Legis constent rebus tamquàm materia, & verbis tamquàm forma, & ut partibus essentialibus?*

OBservandum; has voces *materia*, & *forma* respectivè ad Sacramenta non fuisse in usu nisi circa ann. 1215. usurpatas primò a Guillelmo Antisidiorensi, cùm nullibi ante ipsum, nec apùd Magistrum Sent. reperiantur. Legimus quidèm apùd Aug. l. 1. de peccat. merit. c. 34. *formam Sacramenti*, & in Concilio Milevitano *formam Baptismatis:* sed per formam intelligebant totum ritum, seu cæremonias Sacramenti, non præcisè verba. Aliis ergo terminis exprimebant antiqui, quod nùnc vocamus materiam, & formam. Quandoquè dicebant *mystica Symbola*, quandoquè *signum, & rem invisibilem*, quandoquè *Sacramenta, & rem sacramentalem;* intelligentes per signum, seu Sacramentum, quod nos per materiam, & formam intelligimus, & per rem invisibilem, aut Sacramentalem effectum Sacramenti; quandoquè *verbum, & elementum*, ut Aug. Tract. 80. in Joann. sæpiùs *res, & verba.* A tempore autèm Guillelmi Antisiodor. hæ voces *materia*, & *forma* respectivè ad Sacramenta fuerunt communitèr receptæ in Scholis, & usu, ac sanctionibus Ecclesiæ consecratæ ut patebit modò. Undè

Dico: Sacramenta novæ Legis constant ex rebus, & verbis tamquàm materia, & forma, & ut intrinsecis, & essentialibus. Prima pars est definita a Concilio Florent. in Decreto unionis his verbis: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquàm materia, verbis tamquàm forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. ait: *Docet præterea S. Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, &c... sunt autèm quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus.* Longè anteà S. Th. hìc art. 6. ad 2. dixit: *Ex verbis, & rebus fit quodammodò unum in Sacramentis sicùt ex forma, & materia, in quantum scilicèt per verba perficitur significatio rerum.* Et Art. 7. o. *In Sacramentis verba se habent per modum formæ, res autèm sensibiles per modum materiæ.*

Ratio hujus est, quam jam (*Hìc art* 6. *o.*) expendimus §. præc. Illud habet rationem materiæ, quod est determinabile, & perfectibile per aliud; illud habet rationem formæ, quod est alterius determinativum, & perfectivum; atqui in omnibus Sacramentis res determinantur per verba; res enim sunt ex se indifferentes ad multa significanda, per verba autèm determinantur ad unum: sic aqua est indifferens ad significandam ablutionem, aut refrigerationem; cùm autèm dicitur, *Te baptizo*, determinatur ad significandam ablutionem spiritualem. Undè Aug. Tract. 80. jam cit. in Joann. *Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Secunda pars sequitur ex prima. Nàm materia, & forma sunt partes essentiales cujusvis compositi, sive naturalis, sive artificialis, aut moralis. Et licèt in artificialibus materia sola sit, pro qua supponunt, quia est tota illorum substantia, non tamèn ipsa sola est, in qua essentialitèr consistunt; non enim v. gr. lignum est tota essentia cathedræ, sed forma est ipsi intrinseca & essentialis per modum complementi essentialis, & sine illa non salvatur essentia artefacti. Atqui ex dictis res, & verba sunt tamquàm materia, & forma in Sacramentis: ergo. Undè Auctor infra q. 90. art. 2. ait: *Quodlibet Sacramentum distingui in materiam, & formam sicùt in partes essentiæ.* Et in 4. d. 1. q. 1. art. 3. ad 2. *Verba, & res sunt de essentia Sacramenti.*

Solvuntur objectiones.

OBJ. 1. contrà 1. partem conclusionis. Materia, & forma compositi debent simùl uniri; atqui in Sacramentis novæ Legis res, & verba non debent sempèr simùl uniri: valet enim Baptismus, v. gr. si verba paululùm præcedant, aut subsequantur ablutionem: ergo. Quidam negant Min. & contendunt ad validitatem Sacramenti res, & verba saltèm in parte debere esse simùl in eodem instanti physico. Ità Glossa in Cap. *Detrahe* 1. q. 1. & Cajet. tom. 1. opusc. Tract. 16. Navarrus in Manuali c. 22. n. 12. & 17. Sed hæc sententia communitèr rejicitur. Undè R. D. Maj. Materia, & forma compositi debent simùl uniri simultate physica, vel morali, C. sempèr simultate physica, N. Quamvis enim in compositis substantialibus materia & forma debent sempèr uniri simùl simultate physica, non tamèn sempèr in compositis artificialibus: sic prædicatum & subjectum sunt materia & forma in propositione, & tamèn non sunt simùl Physicè. Et id maximè verum est in compositis moralibus, ut est Sacramentum; talis enim sufficit simultas, quale est compositum: censetur autèm moralis simultas inter materiam & formam Sacramenti, si secundum communem loquendi modum salvetur veritas formæ, & censeatur secùndum moralem æstimationem afficere materiam, *Non debet*, inquit Dom. Soto in 4. d. 3. q. unica art. 8. *usquè adeò strictim hoc simùl intelligi, sed morali modo, hoc est, ut humanus usus habet. Qui enim phyalam ori admovens ait: Ego bibo, & continuò bibit, simùl censetur id dicere & facere.... Pari ergo ratione si quis priùs dicat: Ego te baptizo, vel ego te chrismo, & protinùs mergat, vel chrismate ungat, sat est: illud enim proximum tempus censetur humano modo præsens.* Cavenda est tamèn nimia interpolatio; si enim tanta esset, ut, spectata natura Sacramenti, secundùm usum humanum verba non censerentur servare suam veritatem, & afficere materiam, non perficeretur Sacramentum, vide pro praxi observationem in calce §.

Obj. 2. Significatio est forma Sacramentorum: ergo non verba. R. D. Ant. Significatio est forma totalis Sacramentorum, C. partialis, N. Significatio itaquè gratiæ santificantis est forma totius compositi sacramentalis, sed verba ratione clarioris significationis sunt forma partialis respectu rerum, quas ad unum significandum determinat. Sicùt humanitas est forma totalis hominis, anima forma partialis corporis.

Inst. Si verba haberent rationem formæ respectu rerum, id haberent vel ratione significationis sibi naturalis & propriæ, vel ratione significationis supernaturalis à Christo eis communicatæ; non primum, quia significatio, quam naturalitèr habent, in quibusdam saltèm Sacramentis est impertinens, ut determinet significationem rei in ordine ad significationem sacramentalem, v. g. *Te abluo* in Baptismo; non secundùm, quia significatio sacramentalis proveniens ex Christi institutione est unica cadens suprà res & verba, seu totum compositum: ergo. R. Id verba habere ratione significationis naturalis, non absolutè, sed ut determinatioris & expressioris: neque adhùc præcisè ut talis, sed ut assumptæ à Christo in ordine ad sacramentalem significationem: licèt enim significatio sacramentalis sit ex impositione Christi, supponit tamèn in re, quæ eligitur ad talem significationem, aliquam congruentiam & similitudinem cum re significata; & quantò amplior fuerit similitudo, tantò expressior erit significatio sacramentalis: cùm igitùr verba expressiùs significent quàm res, ratione istius modi expressioris, ut assumpti à Christo, complent & determinant significationem confusiorem rerum; & ideo verba sunt forma, res materia.

Obj. 3. Contra utramque partem Conclusionis. Species sacramentalis in Eucharistia transacta consecratione sunt Sacramentum; atqui hoc Sactamentum non componitur ex verbis, verba enim consecratoria transierunt: ergo. Quidam non ignobiles Auctores propter hoc argumentum censent, quòd, quamvis Sacramentum Eucharistiæ in fieri componatur ut cætera ex rebus & verbis tamquàm ex materia & forma & ut partibus essentialibus, in facto esse tamèn sit excipiendum à conclusione; hoc enim illi proprium est; quòd non consistat in usu, sicùt alia, sed in re permanenti, scilicèt, in specibus consecratis. Attamen non minùs probabiliter cum aliis responderi potest, negando Min. Ad Prob. D. Verba consecratoria transierunt formalitèr C. virtualitèr, N. Sic enim remanent in speciebus, quæ virtute illorum sunt consecratæ. Et hoc sufficit, ut Sacramentum dicatur ex illis componi: sicùt ad hoc ut mixtum dicatur componi ex elementis, sufficit, quòd virtualitèr remaneant in mixto. Neque indè inferas, melius dici Sacramentum componi ex rebus & illarum determinatione per verba, quàm ex verbis; quia illa determinatio est illorum virtus: undè dicitur cùm proprietate verba remanere virtualitèr, & ex illis Sacramentum componi.

Inst. Verba consecrationis sunt causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ: ergo non sunt pars ejus essentialis. R D. Conseq. Ergo non sunt pars ejus essentialis sub eodem respectu, C. sub diverso respectu, N. Itaquè verba consecratoria, quatenùs convertunt materiam panis & vini in corpus & sanguinem Christi, sunt causa efficiens Sacramenti; quatenùs autem confusam significationem materiæ determinat ad esse Sacramenti, seu ad significationem sacramentalem, sunt ejus forma: nihil obstat autem, præsertim in moralibus, quod idem sub diverso respectu exerceat munus causæ efficientis & formalis: sic consensus est causa efficiens & formalis contractûs.

Repones: Compositum non potest multiplicari, non multiplicata forma; atqui Sacramentum multiplicatur, non multiplicatis verbis: dùm sub una verborum prolatione consecrantur multæ hostiæ, tot sunt Sacramenta, quot sunt hostiæ consecratæ, & tamèn una est verborum prolatio: ergo R. D. Maj. Compositum non potest multiplicari, non multiplicata forma formalitèr, vel virtualitèr, C. sempèr formalitèr, N. ad hunc sensum, D. Min. N. Conseq. Dùm ergo sub iisdem numero verbis consecrantur plures hostiæ, forma multiplicatur virtualitèr; sicùt dùm simùl baptizantur plures homines, forma Baptismi multiplicatur virtualiter.

Urgebis: Non multiplicatur compositum, non multiplicata forma formalitèr; sic ubi sunt duo homines, sunt duæ animæ formalitèr: ergo. R. D. Ant. Non multiplicatur compositum physicum, non multiplicata forma formalitèr, C. compositum morale, N. Ex uno enim consensu virtualitèr multiplici possunt fieri decem contractus.

Observanda pro praxi circa similitudinem materiæ & formæ in Sacramentis.

DIxi in solut. 1. Arg. secundum communem sententiam simultatem moralem materiæ & formæ sufficere ad validitatem Sacramenti: idque, quia Sacramentum est compositum morale, ex institutione Christi ab hominibus exercendum & recipiendum, consequentèr humano & morali modo. Nec verisimile est, Apostolo, qui Act. 2. leguntur una die baptizasse tria millia hominum, sic aspersisse aut effudisse aquam, ut tangeret omnes baptizandos eodem instanti physico, quo formam proferrent. Dixi itèm, tùnc haberi simultatem moralem materiæ & formæ, quando, spectata Sacramenti natura, secundùm communem loquendi modum salvatur veritas formæ, & censetur secundum humanum usum afficere materiam, & unum morale signum constituere; secùs, non haberi simultatem moralem, nec perfici Sacramentum. Undè pro diversitate Sacramenti diversa simultas, major, vel minor, requiritur ad validitatem Sacramenti.

Itaquè in Sacramento Eucharistiæ requiritur major, imò physica simultas; quia hæc pronomina, *hoc* & *hic*, satis denotant, materiam debere esse physicè præsentem, ut verificetur formma. Minor requiritur in Sacramentis Baptismi, confirmationis, Ordinis, & Extremæ untionis: quamvis enim eorum formæ importent tempus præsens, *Baptizo*, *signo*, &c. moralitèr tamèn loquendo tempus præsens admittit aliquam latitudinem; & censemus præsens, quod immediatè præcesit, vel immediatè sequitur: undè in his Sacramentis si inter materiam & formam intercedat parva morula, puta unius *Ave*, quibusdam videtur adùc perfici Sacramentum; secùs, si longius tempus intercedat.

In Sacramento Pœnitentiæ, quod exercetur per modum judicii, certum est, quòd materia, scilicèt actus pœnitentis, debeat præcedere formam; hæcque videtur posse longiusculè differri. Quidam dicunt, à serò ad mane sequentis diei; quidam ad tres aut quatuor horas; quidam ad horam, alii istas omnes moras longiores reputant: quia licèt in judicio forensi pòst examen & confessionem rei possit ità, imò ad plures dies differri sententia, non sic tamèn, inquiunt, in Sacramento Pœnitentiæ secundùm communem prudentum sensum, ad quem debet attendi in præsenti materia: nemo enim dicet, hodiè confessum posse validè, non iterata confessione, pòst occiduum absolvi, sicùt tamèn fieri potest, & fit in judicio forensi.

In Sacramento Matrimonii, cùm sit contractus, quandiù perseverat moralitèr consensus unius, etiam pòst plures menses potest accedere consensus alterius, sicùt in aliis contratribus: & hoc patet, quandò Matrimonium contrahitur per procuratorem, nuntium, vel litteras, in locis distantibus.

Horum omnium ratio jam sæpè dicta est; quod Sacramenta sint quædam composita artificialia, non physica sed moralia, ab hominibus exercenda & recipienda, ideoque de eorum consistentia judicandum non secundùm principia physica præcisè, sed secundùm principia moralia & judicium prudentum: prudentes autèm judicant, spectata cujuslibet Sacramenti natura, parvam distantiam officere uti, non nisi magnam alteri. Et hæc quantùm ad valorem Sacramenti.

Nùnc verò quoad *licitum* Imprimis certum est, in Sacramento Pœnitentiæ & Matrimonii licitè postponi formam materiæ, cùm alitèr fieri non possit. In aliis verò Sacramentis, Baptismi, Confirmationis, Ordinis, & Extremæ Unctionis, omninò illicitum est postponere totalitèr formam materiæ, aut materiam formæ; ità ut à peccato mortali non videatur excusandus, qui baptizando, v. g. partem saltèm formæ non pronunciaret antè finitam ablutionem: quia secundum omnes peccat mortalitèr, qui sine causa Sacramentum exponit nullitati, & ministrat dubium, dùm potest certum; Sacramentum autèm sic collatum est dubium cùm plures & graves Auctores illud reputent nullum: ergo Undè quidam sub conditione inferunt, Sacramentum, præsertim Baptismi & Ordinis, sic collatum esse repetendum.

Cæterùm, consultum est Sacramentorum Ministris, ut in omnium collatione curent adhibere majorem quam possunt mate-

teriæ & formæ simultatem. In Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Ordinis, & Extreme-Unctionis, applicando materiam, formam proferant. In Sacramento Pœnitentiæ peracta confessione, imposita & acceptata satisfactione, statim absolutionem impedant. In Matrimonio, pòst expressum consensum unius, alter e vestigio suum exprimat. Cùm enim materia & forma debeant constituere unum signum sacramentale, consultum est, ut meliori quo possunt modo conjungantur.

§. III. *Utrùm verba Sacramentorum sint promissoria & concionatoria; an consecratoria?*

QUæstio duplici sensu potest intelligi. 1. An in collatione Sacramentorum debeat necessariò præmitti, aut adhiberi promissio, seu concio explicativa promissionis, quæ concio vel promissio sit pars essentialis Sacramenti. 2. Utrùm verba, quæ sunt forma Sacramentorum, sint promissoria & concionatoria, non consecratoria? utrumque videntur sustinere Lutherani, & Calvinistæ, præcipuè secundùm; quoad primum enim non omnes consentiunt.

Dicunt itaquè, verba Sacramentorum esse promissoria, quatenùs, si non expressè contineant promissiones divinas, saltém ad illas jam factas mentem revocant, & eas quasi sigillant. Dicunt contionatoria, quatenùs alta voce prolata in audientium animis movent & excitant fidem justificationis promissæ; cui fidei, & non Sacramento, justificationem tribuunt, ut dictum est alibi. Tandèm concedunt, posse aliquo sensu dici consecratoria, quatenùs rem ab usu profano ad sacrum & religiosum transferunt, sed non quatenùs efficiunt quod significant, gratiam, scilicèt, & sanctitatem: contendunt enim, & est apùd illos dogma capitale, hominem non justificari per gratiam internam, sed per imputationem justitiæ Christi, ut vidimus de gratia. Hoc ultimo excepto, præsens controversia foret levis momenti, & quasi de nomine; Catholici namquè non negant, concionem, seu instructionem præmittendam esse Sacramento conferendo adultis, quia debent instrui de rebus fidei, ut cum fructu Sacramentum suscipiant, juxtà illud Christi ad Apostolos: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Sed negant, hanc instructionem aut concionem pertinere ad essentiam Sacramenti; in idque consentiunt quidam ex adversariis. Itèm non negant Catholici, verba Sacramentorum posse dici sigilla & pignora divinarum promissionum, & aliquo sensu pertinere ad concionem, quatenùs valent ad excitandam objectivè fidem & pietatem; sed volunt, quòd sint insupèr consecratoria, non solùm quia rem transferunt ab usu profano ad sacrum, sed etiam quia efficiunt, quod significant, puta hæc verba *Te baptizo*, ablutionem spiritualem animæ a peccatis per gratiam; & hæc: *Hoc est corpus meum*, præsentiam realem corporis Christi. Ex quo patet, hanc controversiam propriè pertinere ad Quæst. de causalitate Sacramentorum, de qua infrà. Attamen pro more Scholarum.

Dico 1. In collatione Sacramentorum, non est necessariò præmittenda, aut adhibenda, ut pars eorum essentialis, concio, qua audientes instruantur de promissionibus divinis, de Sacramentorum institutione, & effectibus. Prob. 1. Essentialia Sacramentorum fuerunt à Christo determinata, ut dicemus infrà, præcipuè in Sacramentis Baptismi & Eucaristiæ, quæ duo agnoscunt Hæretici; atqui, si concio præmitenda, aut adhibenda, esset ipsis essentialis, essentialia Sacramentarum non èssent a Christo determinata; tot enim forent diversæ conciones, quot forent diversi concionatores: ergo. 2. Infantes & amentes validè bapttzant; atqui ipsis non negant Hæretici, quippè qui ipsi infantes baptizant; atqui ipsis non adhibetur concio, qua in ipsis excitetur fides justificationis promissæ; hujus enim sunt incapaces: ergo.

Respondet 1. Calvinus, Baptismum tùnc quidèm non prodesse infanti, sed profuturum tùnc quandò poterit inteligere significationem. Sed contrà *1.* Si concio sit de essentia Baptismi, debet ab eo, qui baptizatur, percipi, sicut ipse ab aqua debet tangi. 2. Multi infantes moriuntur, antequàm possint significationem percipere. 3. Esto tunc tantùm proficiat, saltèm non iteratur: ergo validus erat absquè concione.

Repondet 2. Nihilominùs adhibendam esse concionem, quæ proderit saltèm adstantibus. Sed contrà 1. Potest contingere, quod nullus sit præsens præter baptizandum & baptizantem. 2. Non proptèr adstantium, sed proptèr recipientium utilitatem confertur Sacramentum. 3. Calvinus docet, non esse rebaptizandos Catholicos, nec seipsum, ubi apostatabit, jussis rebaptizari, quia validus est eorum Baptismus, atqui tamèn Catholici non sempèr adhibent concionem, & nunquàm ut partem essetialem Baptismi: ergo. 4. Baptisma Hæreticorum, etiam circà formam errantium, modò litteralitèr servaretur, ut validum sempèr suscepit Ecclesia, ut constat ex Aug. l. 3. de Bap. c. 15. ubi dicit, integrum esse Sacramentum, si Evangelicis verbis fuerit consecratum, sive a Marcione, sive ab Ario, sive ab Eunomio, sive a Valentino, qui omnes hæreticè sentiebant circà SS. Trinitatem, adeòque circà formam Baptismi. Ergo vel nulla concio est de essentia Baptismi, vel admittenda est concio hæretica & blasphema tamquàm pars essentialis Sacramenti; quod est altera blasphemia.

Dico 2. Verba Sacramentorum non sunt simplicitèr promissoria & concionatoria, sed consecratoria, id est, effectiva illius, quod significant. Prob. 1. Verba Sacramentorum usurpata & instituta à Christo nullam continent promissionem aut concionem; ut hæc, *Hoc est corpus meum*: Et hæc, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Ubi enim, quæso, illic promissio vel concio? sed dumtaxàt consecrant materiam, quam afficiunt, aut sanctificant personam, cui conferuntur: undè Christus non dixit: *Euntes docete omnes gentes nomen Patris*; sed *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. 2. Aliud est ministerium baptizandi, aliud evangelizandi, juxtà illud Apost. 1. Cor. 1. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*; atqui, si forma Baptismi foret concionatoria & non consecratoria, idem foret ministerium baptizandi & evangelizandi: ergò. 3. Validus est Baptismus infanti collatus, ut jam dictum est, qaamvis nullam in eo fidem excitet promissæ jusiificationis: ergo. Quæ huic argumento reponit Calvinus, prævenimus suprà 4. Aug. cujus auctoritate abutuntur Heterodoxi, l. 3. de Bapt. c. 10. dicit: *Baptismus Christi verbis Evangelicis consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus est, quambis illi sint impudici & immundi; quia ejus sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo divina virtus asistit.* Indè sic arguo: Juxta Aug. & rei veritatem, Baptismus, verbis Evangelicis ab infideli aut malo ministro collatus alicui indigno, sine fide aut charitate illud recipienti, est validus: ergo neque ex fide aut pietate ministri, neque ex fide & pietate recipientis pendet ejus valor, & essentia: ergo non est necesse ad ejus valorem & essentiam: ut verba evangelica sint concionatoria, & alta voce proferantur, ut excitent fidem & pietatem in suscipiente. In confirmationem utriusque Conclusionis appello ad perpetuam traditionem Ecclesiæ, quæ ubi de Sacramentis ageretur, nunquàm promissionis aut concionis, sed consecrationis, seu benedictionis tantùm meminit. Confer, quæ dicemus infrà de effectu Sacramentorum.

Ob. *1.* S. Petrus Ep. 1. c. 3. dicit: *Vos similis formæ salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* In Greco vox, quam Latinus interpres vertit *interrogationem*, significat stipulationem, seu pactum, nempè baptizatus init cum Deo: Ergo verba Sacramentalia sunt verba pacti & promissionis. Ità Lutherus. R. 1. Esto, loco *interrogationis* poni debeat *pactum* seu *stipulatio* non sequitur ipsum Baptisma esse illud pactum, neque hoc dixit S. Petrus; sed quòd bapitzandus baptizanti, interroganti, àn renuntiet mundo & diabolo, resdondens se renuntiare, ineat pactum cum Deo, ratione cujus tanquàm dispositionis & conditionis virtute Sacramenti fit salvus. Sed R. 2. hunc textum aliundè satis obscurum plus nocere, quàm favere Novatoribus. Ibi enim S. Petrus comparat Baptisma Arcæ Noë: Arca autèm Noë non fuit merum pactum aut signum pacti cum Deo, sed reverà continendo octo animas eas salvas fecit corporalitèr: ità ergò Baptisma non solùm est pactum aut signum pacti cum Deo, sed sua virtute salvat animas spiritualitèr, non abluendo carnis sordes, ut lationes & baptismata Judaica: sed sordes animæ, seu conscientiæ, eam interrogando in Deum, id est, eam explorando, probando, & quasi lixivio emundando, sicque perfectam & mundam Deo exhibendo.

Obj. 2. Aug. Tract. 80. in Joann. dicit: *Undè tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur*: atqui fides habetur ex concione: undè addit Aug. ex Apost. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* R. (*Hic art. 7. ad 1.*) Sensum Aug. non esse, verba Sacramentalia non esse, pronuncianda, ut fatentur ipsi Hæretici, neque nullam vim ipsis inesse sine fide actuali, cùm S. Doctor contrà Donatistas totus sit, ut probet Baptisma sine fide datum & receptum valere. Sensus est igitùr, verbum operari in Sacramentis, *Non quia dicitur*, id est, non secundùm exteriorem sonum vocis; sed *quia creditur*, id est, secundùm sensum verborum, qui fide tenetur. Seipsum clarè explicat Augustin. verbis immediatè sequentibus: *Nam* inquit, *in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud sensus manens.* Ex quo infert S. Th. quòd licèt non sint eædem voces quoad sonum apùd omnes, quia tamèn est idem sensus, ideò cujuscumque linguæ verbis proferatur talis sensus, perficietur Sacramentum. Ad id, quod addit Aug. ex Apost. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*; verum est hoc sensu, quòd Apostoli hujus verbi Sacramentalis vim & efficaciam prædicaverint & annuntiaverint. Vel inteligendum est de verbo generalitèr sive consecratorio sive concionatorio, ut explicabitur in sol. sequenti.

Inst. Aug. post. hæc verba: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus*; subjungit: *Undè in actis Apostolorum: fide mundans corda eorum. Et Petrus Apost. sic nos Baptisma salvos fecit, non depositio sordium carnis, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* Et in fine sermonis concludit: *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Atqui mundari per fidem, per conscientiæ interrogationem, verbum quod locutus est Dominus post ultimam cœnam, non est mundari per verbum consecratorium, sed concionatorium: ergo verbum in Sacramento est concionatorium, & non consecratorium. R. data Min. N. Conseq. Quia Aug. ibi non loquitur de verbo præcisè ut sacramentali, sed generalitèr de verbo sive fidei, sive Sacramentorum, quo mundamur. S. Doctor enim eo loco explicanda susceperat hæc Christi verba: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*; & facit sibi quæstionem, cur non dixerit Christus: jam mundi estis propter Baptismum, quo loti estis: cui respondet dicendo, quia sive in Sacramentis, sive extra, sempèr verbo mundamur; si enim fiat mundatio in Sacramentis, vis mundandi oritur ex verbis; si extrà, fit necessariò per fidem; *fides autèm ex auditu, auditus per verbum Dei*: undè mundatio sempèr ex verbo oritur. In eo igitur loco, cui maximè confidit Calvinus, S. Aug. loquitur modò de verbo sacramentali, modò de verbo concionatorio, & sine æquivocatione, quia utriusque verbi characteres distinguuntur. Et sic concludit: *Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait: Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*: non restringit verba Christi ad sermonem ejus post ultimam cœnam, sed intelligit de verbo generalitèr; ità ut sensus sit in Augustino: vos mundi estis propter verbum meum, sive quod me concionante audistis, sive in quo Baptismo sanctificati estis.

Urgebis ex S. Ambrosio, qui libr. de Mysteriis c. 13. dicit: *Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futuræ salutis est ... sicùt ergo in illum fontem Moyses misit lignum, ità & in hunc fontem Sacerdos prædicationem dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam*: ergo. R. Ambrosium per prædicationem dominicæ crucis intelligere verbum consecratorium, & non concionatorium; non enim concio mittitur, seu dirigitur in fontem, ut loquitur Ambr. sed in audientes: unde libr. 4. de Sacramentis c. 4. *Ubi*, inquit, *accessit consecratio de pane fit caro Christi.*

Objiciunt insupèr Hæretici, Sacramenta a SS. Patribus vocari signacula, sigilla, pignora. Sed neque nos id negamus: addant dumtaxàt sigilla, signacula, &c. practica, & effectiva illius, quod significant, & conveniemus saltèm quoad rem.

ARTICULUS V.

Utrùm res, & verba in Sacramentis novæ Legis sint, & debuerint esse a Christo determinata; iisque proindè sit necesse uti?

DIco 1. Res, & verba in Sacramentis novæ Legis sunt de facto a Christo determinata, ideòque necesse est illis uti. Prob. Christus est auctor Sacramentorum novæ Legis, ut infrà dicemus; atqui ille dicitur Auctor compositi, qui illius materiam, & formam instituit, atque determinat: ergo.

Dico 2. (*Hic art. 5. & 7. o.*) Res, & verba in Sacramentis novæ Legis debuerunt a Christo determinari. Prob. (*Ib. art. 5.*) de rebus. In usu Sacramentorum duo possunt considerari, scilicèt, cultus divinus, & sanctificatio hominis; quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum; secundum e converso pertinet ad Deum per comparationem ad hominem; atqui, licèt possit esse in potestate hominis determinare sibi res, quibus Deum colat, non tamèn ad ipsum pertinet suo judicio assumere res, quibus sanctificetur, sed ad solum Deum: ergo. Prob. Min. Sanctificatio hominis est in potestate Dei sanctificantis; atqui non pertinet ad aliquem determinare, quod est in potestate alterius: ergo. Prob. (*Ib. art. 7.*) a fortiori de verbis. In Sacramentis requiruntur res determinatæ a Christo: ergo multò magis determinata verba. Prob. Cons. In Sacramentis verba se habent per modum formæ, res sensibiles per modum materiæ, ut dictum est; atqui in omnibus compositis ex materia, & forma principaliùs ad esse rei requiritur determina forma, quàm determinata materia: ergo. Prob. Min. In omnibus compositis ex materia, & forma principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodò finis, & terminus materiæ; materia enim requiritur determinata, ut sit proportionata determinatæ formæ: ergo.

Solvuntur objectiones.

PRO solutione Objectionum nota, ad veritatem Conclusionis nostræ sufficere, si res, & verba a Deo sint determinata immediatè, vel mediatè, in genere, vel in specie.

Obj. 1. contra 1. partem: Salus animæ est magis necessaria, quàm salus corporis; atqui in medicinis corporalibus potest una res poni pro alia in ejus defectum: ergo multò magis in Sacramentis, quæ sunt medicinæ spirituales ad salutem animæ. R. N. (*Ibid. art. 3. ad 2.*) Cons. Disparitas est, quòd res habeant naturalitèr sibi inditas virtutes conferentes ad corporalem salutem; & ideò non refert, si duæ earum eamdem virtutem habeant, qua quis utatur: sed ad sanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturalitèr indita, sed solùm ex institutione divina; & ideò opportuit divinitùs determinari, quibus rebus sensibilibus sit in Sacramentis utendum.

Obj. 2. Si ratio D. Th. valeret, probaret etiam, in Sacramentis Legis naturæ materias esse a Deo determinatas; atqui falsum Cons. cùm nihil sit assignabile determinatum a Deo in Lege naturæ, quo deleretur peccatum originale: ergo & Ant. R. D. Min.; atqui res Sacramentorum Legis naturæ non sunt a Deo determinatæ, immediatè, C. mediatè, N. Dicendum igitùr, divina institutione revelata Adæ, & ab ipso posteris indicata, præfixum fuisse homini, ut pro Sacramentis, & deletione peccati originalis adhiberet protestationem exteriorem fidei: quo ritu autèm, quove signo illa protestatio fieret, interiori hominis instinctui determinandum a Deo relictum fuisse (*Ib. ad 3.*) Et ratio hujus disparitatis cum Sacramentis novæ Legis est; quia, sicùt in statu Legis naturæ homines nulla lege exteriùs data, sed solo instinctu interiori movebantur ad Deum colendum, ità etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Postmodùm verò necesse fuit, etiam exteriùs legem dari, tùm propter obscurationem legis naturæ ex peccatis hominum; tùm etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur: & ideò etiam necesse fuit, res expressiùs determinari, quibus homines uterentur in Sacramentis.

Inferes, ergo magis arctatur via salutis in lege nova, quàm in lege naturæ. R. N. Illat. (*Ib.*) Quia res, quarum usus est necessarius in Sacramentis novæ Legis, vel communitèr habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt. Adde, quòd tùnc pauciores essent fideles quàm nùnc, qui tale signum qualecumque adhibere vellent in suorum salutem. Insupèr abundantior gratia in nova Lege compensat inconveniens allatum.

Obj. 3. Quorumdam Sacramentorum novæ Legis, scilicèt, Matrimonii, & Ordinis, res non fuerunt determinatæ: ergo. Prob. Ant. Utriusqe rem, seu materiam mutavit Ecclesia, nàm ante Conc. Trid. materia Matrimonii erat consensus contrahentium etiam sine Parocho, & testibus, nùnc autèm debet fieri coràm Parocho, & testibus. In Sacramento Ordinis primis sæculis materia erat sola manuum impositio, & ità nùnc est apud Græcos etiam Catholicos; apùd Latinos autèm est porrectio patenæ cùm pane, & calicis cùm vino, ut decernit Eugenius IV. ergo. R. N. Ant. Ad Prob. de Matrimonio, D. Ant. Ecclesia mutavit Matrimonii materiam, formalitèr, N. materialitèr, seu rem, quæ erat materia, C. materia ergo Matrimonii a Christo determinata non erat quilibet contrahentium consensus, seu traditio per acceptationem determinata, sed consensus efficiens legitimum contractum: elevavit enim Christus contractum legitimum naturalem ad esse Sacramenti. Remanet nùnc eadem formalitèr materia, sed tantùm effecit Ecclesia, ut contractus, qui priùs sine talibus conditionibus erat legitimus, nùnc non sit legitimus; quòd certè potest, cùm validitas contractuum ejus auctoritati subjaceat. Sicùt ergo, qui nùnc destrueret panem, aut vinum converteret in acetum, non diceretur mutare, seu destruere materiam formalem Eucharistiæ, sed rem, quæ erat materia, ità & in nostro casu: destrueret autèm, aut mutaret formalitèr, si faceret, quòd panis manens panis, seu vinum remanens vinum, non esset materia Eucharistiæ. Ad Prob. de Ordine, dato Ant. D. Cons. Ergo materia ejus non fuit a Christo determinata in specie, Transeat; in genere, N. Determinavit ergo tantùm Christus, quòd Sacramentum Ordinis conferretur per aliquod signum sensibile significativum potestatis, quæ traditur, & per verba hoc ipsum exprimentia. Utrùm autèm hoc signum sensibile deberet esse impositio manum, aut porrectio instrumentorum, non determinavit, sed determinandum reliquit judicio Apostolorum, & Ecclesiæ. Ità juxta communiorem sententiam. Quidam alii volunt, etiam apùd Græcos intervenire porrectionem instrumentorum, si non per contactum physicum, saltem per contactum moralem, mediante scilicèt Altari, cui Ordinandi incumbunt. Alii volunt, etiam nùnc apùd nos impositionem manuum esse solam materiam essentialem Ordinis. Cæterùm, quidquid sit de istis sententiis, de quibus suo loco, nulla est, quæ non faveat nostræ conclusioni, & argumentum oppositum non solvat. Eadem difficultas posset proponi de Confirmatione: de qua etiam suo loco.

Obj. 4. Contra 2. partem. Salus, quæ per Sacramenta quæritur, est una apùd omnes; atqui voces non sunt eædem apùd omnes: ergo. R. D. Min. (*Ib. art. 7. ad 1.*) Voces quantùm ad sonum non sunt eædem apùd omnes, C. quoad sensum, N. Igitùr, ut dicit Aug. Tract. 8. in Joann. verbum operatur in Sacra-

cramentis, non quia dicitur, id est, non secundùm exteriorem sonum vocis; sed quia creditur, id est, secundùm sensum verborum, qui fide tenetur: & hic quidèm sensus est idem apùd omnes, licèt non eædem voces sint quantùm ad sonum. Et ideò cujuscumque linguæ verbis proferatur talis sensus, perficitur Sacramentum, ut jam dictum est. Observat tamèn Auctor (*Ib. ad* 2.) eam vocem esse adhibendam in Sacramentis, qua principaliùs, & communiùs homines illius linguæ, seu Ecclesiæ utuntur ad significandum, seu cujus usus in sua Ecclesia solemnior, & usitatior est: sicùt inter res sensibiles illa sumitur ad significationem Sacramenti, cujus usus est communior ad actum, per quem Sacramenti effectus significatur. Attamèn hìc verborum magis communium usus non est necessitatis absolutæ pro validitate Sacramenti, modò salvetur sensus, sed tantùm congruentiæ, & obligationis sub peccato pro Ministris.

Obj. 5. Verba in Matrimonio non sunt determinata: ergo. R. D. Ant. Non sunt determinata in ultima specie, C. in specie subalterna, seu in genere. N. Hæc enim requiruntur verba, quæ efficiant contractum legitimum, sive verba sint formalitèr, sive virtualitèr, scripturæ, scilicèt, nutus, &c.

Consectaria.

EX dictis colliges 1. quorumdam Sacramentorum materiam esse a Christo determinatam in specie infima; quorumdam in specie subalterna, seu in genere: scilicèt, in Baptismo aquam elementarem, in Eucharistia panem triticeum, & vinum de vite, in Pœnitentiam confessionem dolorosam pœnitentis, sive verbis, sive signis fiat, in Extrema-Unctione oleum, in Matrimonio consensum per verba, vel nutus illum exprimentes. De Confirmatione multi idem censent, scilicèt, chrisma esse a Christo institutum pro ejus materia. De Ordine verò communior opinio est, quòd ejus materia sit tantùm determinata in genere, ut jam dictum est.

Colliges. 2. Materiam Sacramentorum non esse determinatam a Christo in individuo, neque quoad accidentia: nihil enim refert, àn hæc vel ista aqua, v. gr. adhibeatur in Baptismo; neque àn sit frigida, vel calida, pluvialis, vel fontalis; modò sit naturalis apta ad abluendum: quod addo, quia gelata non sufficeret.

Colliges 3. non omnium Sacramentorum formas eodem gradu esse in Evangelio explicitas. Formæ Baptismi, & Eucharistiæ sunt omnino explicitæ: *Ego te baptizo; Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, quia illa duo Sacramenta sunt omnibus hominibus necessaria. In Sacramento Pœnitentiæ est etiam aliquousquè explicita, & clarè saltèm indicata his verbis, *quodcumque solveris*, &c. undè Ecclesia assignavit hoc verbum *absolvo*. Et ità etiam decebat, quia est omnibus peccatoribus necessaria. In aliis verò Sacramentis, utpotè minùs necessariis, non explicitè ponuntur in Evangelio, sed ab Apostolis, qui ex Christo audierunt, per traditionem accepimus.

ARTICULUS VI.

De mutatione formæ, & materiæ in Sacramentis.

NOta 1 (*Hic art.* 8. *o.*) quòd circa omnes mutationes, quæ possunt in formis Sacramentorum contingere, duo videantur consideranda: unum quidèm ex parte ejus, qui profert verba, cujus intentio requiritur ad Sacramentum, ut dicetur infrà, aliud ex parte significationis verborum. Et circa hoc ultimum duplex distinguitur mutatio: una substantialis, quandò non salvatur debitus, & per se intentus verborum sensus, quo videlicèt ipsius formæ aut Sacramenti proprius effectus significatur; quia substantia formæ consistit in sensu, siquidèm verba operentur in Sacramentis secundùm sensum, quem faciunt, ut jam dictum est. Altera est accidentalis, quandò scilicèt non tollitur debitus, & per se intentus verborum sensus. Similitèr distinguitur duplex mutatio materiæ: una substantialis, alia accidentalis. Substantialis, quando moralitèr loquendo censetur alia nomine, & ratione, etsi fortè specie physica non differat; ita ut attendatur ejus natura, non tam physicè, quàm moralitèr, & secundùm apprehensionem hominum, præcipuè in ordine ad significationem, quam Christus intendit. Undè, licèt fortè massa cruda farinæ specie physica non differat a pane, aut glacies ab aqua, censetur tamèn mutatio substantialis in ordine ad Sacramentum. Erit autèm mutatio accidetalis, si remaneat eadem species physicè, & moralitèr, ut si aqua non sit benedicta, si panis sit fermentatus.

Nota 2. (*Hic art.* 7. *ad* 3) Verba habere significationem ex duplici capite: 1. ex impositione: 2. ex usu, & accomodatione hominum: undè fieri potest, quòd vox, quæ unum significat ex impositione, aliud significet ex accomodatione, & usu hominum, propter scilicèt ejus similitudinem cum alia voce id ipsum significante. Similitèr contingere potest, quòd vox nihil significet ex impositione, & tamèn aliquid significet ex accommodatione: sic qui ex defectu linguæ aut ex ignorantia idiomatis latini baptizaret dicendo, in nomine Patrias, & Filias & Spirituas sanctas; Patrias, Filias, & Spirituas ex impositione, vel nihil significant, vel aliud significant, quàm Patris, Filii, & Spiritus sancti; & tamèn propter similitudinem, & dispositionem relictam ut trahi possint ad eamdem significationem cum vocibus Patris, Filii, & Spiritus sancti, ex accommodatione, & usu hominum in his circumstantiis idem significant.

Circa præsentem materiam duo inquirimus. Primum, àn, & quæ mutatio sive formæ sive materiæ tollat veritatem Sacramenti Secundm, quale sit peccatum mutare materiam, vel formam Sacramenti. Undè sit

§. I. *An, & quæ mutatio formæ, vel materiæ tollat veritatem Sacramenti?*

DIco 1. (*Hic art.* 8. *o. art.* 7. *ad* 3.) Si minister per mutationem formæ sacramentalis ex industria factam, sive addendo, sive subtrahendo, sive corrumpendo, sive quocumque alio modo, intendat inducere novum ritum, seu novam formam essentialem ab Ecclesia non receptam, quamvis remaneat adhuc sensus legitimus, non videtur perfici Sacramentum: quia non videtur, quòd intendat facere, quod facit Ecclesia; quæ tamèn intentio requiritur ad validitatem Sacramenti, ut probabitur infrà. Attende ad verba S. Doctoris: non enim dicit absolutè, quòd *non perficiatur Sacramentum, quia non intendit*, &c. sed quòd videatur non perfici Sacramentum, quia non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia. Et reverà, qui contra Ecclesiam agit, non videtur habere intentionem Ecclesiæ: & in foro exteriori præsumitur is non habere rectam intentionem, qui ex industria essentialia formæ voluit mutare, etiamsi non ità mutaverit, quin remaneat adhùc sensus substantialis. Et in hoc casu iterandum foret Sacramentum, saltèm sub conditione.

Utrùm verò, qui ea intentione mutat formam Sacramenti possit habere intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia? Videtur distinguendum: Si ex ignorantia aut errore existimet, hanc suam mutationem, seu ritum esse essentialem, & non erroneum in vera Dei Ecclesia, videtur, quòd cum hac mutatione, & intentione possit compati generalis intentio faciendi, quod facit Ecclesia, & subsistere Sacramentum: si tamèn mutatio relinquat sensum substantialem, saltèm ex accomodatione usûs; istæ enim duæ intentiones non sibi formalitèr contradicunt. Et sic videtur contingere in Græcis Schismaticis, qui validè baptizant sub hac forma: *Baptizetur servus Christi, N. &c.* ignorantèr, & erroneè existimantes, hanc solam formam, & non nostram, esse essentialem in vera Christi Ecclesia, ideòque inquit Innoc. III. baptizatos a Latinis rebaptizare præsumpserunt. Si verò sciat, suam mutationem, seu ritum, quem intendit in forma sacramentali, non esse essentialem in vera Christi Ecclesia, sed ab ea reputari erroneum, videtur, quòd tùnc non possit permanere intentio generalis faciendi, quod facit vera Christi Ecclesia. Quomodò enim intenderet saltèm practicè facere, quod facit vera Christi Ecclesia, dùm profert verba ut essentialia formæ, quæ scit non esse essentialia in vera Christi Ecclesia, sed erronea ab ipsa reputari?

Dico 2. (*Ib. art.* 8.) Mutatio substantialis, seu varians sensum substantialem propositionis, intentum a forma sacramentali, etsi esset debita intentio, irritat Sacramentum; secùs, si sit tantùm mutatio accidentalis, seu non tollatur sensus substantialis formæ. Prob. Verba sunt determinata a Christo tanquàm forma essentialis Sacramentorum, non quoad sonum, sed quoad sensum, quem faciunt: ergo, si sit mutatio substantialis in illis, seu si tollatur sensus substantialis debitus, & per se intentus, non remanet Sacramentum, cum non possit subsistere sine sua forma: secùs a contrario, si sit tantùm mutatio accidentalis. Idem intellige de mutatione substantiali, & accidentali materiæ; quia, mutata substantialitèr materia compositi, non remanet idem compositum. Quod adeò verum est, ut Ecclesia, quamvis mutare possit cæremonias Sacramentorum accidentales, id tamèn facere non potest, nisi salva eorum substantia a Christo instituta, ut decrevit Conc. Trid. Sess. 21. c. 2. Hìnc, qui baptizaret in aqua rosacea, vel vino; qui consecraret in vino lymphato, vel in pane hordeaceo, nihil conficeret. Secùs, si baptizaret in aqua non benedicta, vel consecraret in pane triticeo fermentato.

Dico 3. Quandò ita mutantur verba formæ in Sacramentis, ut sensus eorum reddatur ambiguus, ex intentione ministri pendet, ut determinetur ad verum, & legitimum, seu falsum, & erroneum sensum, adeòque ut validum sit, vel invalidum Sacramentum. Ratio est, quia dùm propositio plures patitur sensus, in potestate proferentis est, hoc, vel illo sensu in illa uti, adeòque ex intentione ejus determinatur ad hunc, vel illum sensum, & tollitur ambiguitas; sicque fit validum, & invalidum Sacramentum. Hinc, si quis (*Ibid.*) formæ Baptismi adderet, *& Beatæ Virginis*, intendens eodem modo baptizare in nomine ejus ac in nomine Patris, &c. nullum esset Sacramentum. Itèm, si baptizaret in nomine Patria & Filia, intendens esse fœminas in Trinitate. Secùs autèm si in prima intenderet advocare suffragium Virginis, aut in secunda intenderet verum Ecclesiæ sensum, seu ex balbutie aut imperitia sic proferat. Et hoc sensu intelligitur responsio Zachariæ Pontificis d. 4 cap. *Retulerunt*, decidentis, Baptismum collatum sub hac ultima forma esse validum, si non intendebat Minister errorem, aut hæresim.

Observanda praxi circa varios modos, quibus contingit mutatio, sive substantialis, sive accidentalis, in forma sacramentali.

OCto modis contingit mutari verba formæ in Sacramentis. 1. Ex parte idiomatis; & hæc mutatio est accidentalis: cum enim verba in Sacramentis operentur vi sensûs, quæcumque lingua, sive Græca, sive Latina, sive alia, proferantur, modo eumdem sensum debitum reddant, conficitur Sacramentum, etiamsi, inquit Cajet. partim uno, partim alio idiomate proferantur.

2. Si verba usitata mutentur in synonyma: & hæc mutatio est etiam accidentalis, modò tamèn synonyma sint ejusdem omninò significationis, & æquè distincta: alias mutatio foret essentialis, & nullum Sacramentum. Si autèm vox synonyma alias adhùc habeat significationes, tùnc ex aliqua particula adjuncta, aut ex circumstantiis tollenda est æquivocatio: quæ si remaneat, determinandus est sensus, ut dixi, ex intentione proferentis. Hinc valeret Baptismus, si loco *baptizo* dicatur *abluo*. Itèm valeret, si dicatur *tingo*, vel *intingo*: quia Patres, Tertull. adversùs Praxeam c. 26. Cypr. Ep. 22. ad Clerum Rom. & Ep. 25. ad Moysen, Hieron. in cap. ult. Matth. & Isidorus libr. 6 Orig. c. 19 interpretantur tò *baptizo*, quod est vox græca, per *tingo*. Dubium autèm foret secundùm aliquos, si diceretur *mergo*, vel *immergo*; quia non videtur æquivalere tò *baptizo*, seu *abluo*; cùm ad abluendum non sempèr requiratur immersio, inquit Soto. Existimant tamèn alii, valere; quia contendunt hæc verba *Baptizo*, *Abluo*, *Tingo*, *Mergo*, esse verè synonyma. Vide infrà Diss. I. de Bapt. art. 1. Pro certo autèm non valeret, si diceretur, *mundo*, *purgo*; quia debet significari peccatorum mundatio per modum ablutionis. Sicut nec valeret absolutio collata dicendo, *Ego te abluo a peccatis*; quia debet significari in hoc Sacramento peccatorum mundatio per modum absolutionis, ut facit Judex. Porrò hìc intellige synonyma, sive sint talia ex impositione publica, sive ex accommodatione, seu usu communi.

3. Corrumpendo verba formæ: quæ corrumptio, si neque propriè per accommodationem reduci possit ad verum sensum, erit substantialis, & nullum Sacramentum, aliàs non (*Ib. ad* 3) Observandum autèm, mutationem substantialem plerumquè fieri, si corrumpantur verba ex parte principii dictionis, ut si loco *Patris* dicatur *Matris*; secùs, si corrumpantur ex parte finis, ut si loco *Patris* dicatur *Patrias*; quia apùd nos variatio dictionis ex parte principii plerumquè variat significationem, non sic ex parte finis. Verùm, licèt ordinariè sic accidat, non est tamèn certa regula; potest enim ex utraque parte esse tàm parva corruptio, ut sensum non auferat; & tam magna, ut auferat. Undè magis videtur attendenda quantitas corruptionis arbitrio viri prudentis. Hinc conficeret Sacramentum, qui ex imperitia, seu impedimento linguæ loco *Patris* diceret *Patrias*, loco *corpus* diceret *copus*, loco *calix* diceret *calis*, loco *est* diceret *es*, &c. quia per accommodationem usûs trahi possunt ex dispositione relicta ad verum sensum. (Hæc advertant scrupulosi, qui sæpè irreverentèr, & ridiculè ponderant supèr verba formæ, seu ea repetunt.) Non conficeret autèm, si loco *Patris* diceret *Matris*, si loco *corpus* diceret *cor*, &c.

Dices: Qui diceret in forma Baptismi: *Baptizo te in nomine Matris*, omnes intelligerent lapsum linguæ esse, & ipsum voluisse dicere *Patris*, cum in Trinitate non sit mater; sicùt cùm dicit *Patrias*, intelligitur *Patris*: ergo in utroque casu ex accommodatione redditur verus sensus, & conficitur Sacramentum. R. N. Conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd in hac voce *Patrias*, secundùm se considerata, etiam non attenta bonitate intelligentis, relinquatur dispositio, ut per acommodationem usûs communis trahi possit ad eumdem sensum cum voce *Patris*: in hac autèm voce *Matris*, secundùm se considerata, nulla similis relinquitur dispositio, sed alium omninò sensum importat; & si idem sensus intelligatur per eam importari ac per vocem *Patris*, hoc totum provenit per accidens & bonitate, & perspicacia intelligentis, & non ex ipsa voce secundùm se, juxta accommodationem usûs communis.

4. (*Ib. art.* 8. *o.*) Mutatio formæ fit per additionem alicujus termini; quæ si variet sensum debitum, erit essentialis; aliàs accidentalis. Si verò additio sit sensus ambigui, consulenda est intentio ministri, àn intenderit verum aut falsum sensum; & si falsum, àn eam protulit ut partem formæ, àn fortè per modum appendicis, aut precum. Hinc conficeret Sacramentum, qui baptizaret *in nomine Patris omnipotentis, & Filii unigeniti, & Spiritus Paracleti.* Similitèr si adderet, *beata Virgo te adjuvet.* Itèm, si adderet, *& in nomine Beatæ Virginis*, intendèns tantum ejus patrocinium invocare, & non baptizare in nomine ejus sicùt in nomine Patris. Paritèr conficeret Eucharistiam Sacerdos, qui Calvinistarum errore imbutus post legitimè pronuntiatam formam, *Hoc est corpus meum*, subjungeret, non ut quid essentiale formæ, sed per modum precum, *& illud in Cœlis adoramus, cujus figuram tantùm in terris nobis exhibet*; modò tamen retineat intentionem faciendi, quod facit vera Christi Ecclesia, quævis illa sit. Non conficeret autèm, si quis cum Arianis baptizaret, *In nomine Patris majoris, & Filii minoris*, &c. De additione verò, quæ non corrumperet verum sensum, sed tantùm fieret cum intentione inducendi novum ritum in Ecclesia, vide primam Conclusionem, & ejus explicationem.

5. Per subtractionem. (*Ib.*) Si, ut de præcedenti mutatione dictum est, tollat sensum debitum Sacramentalem, erit substantialis mutatio; aliàs accidentalis tantùm. Hinc, qui in forma Baptismi subticeret *Ego*, & in forma Eucharistiæ *enim*, conficèret Sacramentum; ly *enim* quippè deservit tantùm ad seriem narrationis, & non ad significandam conversionis panis in corpus Christi: secùs, si taceret aliquam personam Trinitatis; aut ly *meum* in forma Eucharistiæ.

6. Per transportationem (*Ib. ad* 3.) verborum formæ, quæ paritèr, ut antè, si tollat sensum sacramentalem, erit mutatio substantialis; secùs, accidentalis. Hinc conficeret Baptismum, qui diceret baptizando, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ego te baptizo*: Non videtur autèm conficere, si diceret: *Patris ego te baptizo in nomine Filii, & Spiritus sancti.*

7. Per interruptionem (*Ib.*) verborum formæ; quæ si tanta sit, ut non censeantur moralitèr loquendo verba in unam orationem convenire, erit mutatio substantialis; secùs, accidentalis. Hinc, si consecrans post hæc verba, *Hoc est*, sternutaret, & statim posteà subdèret, *corpus meum*, conficeret Sacramentum: similitèr, qui baptizando post hæc verba, *Ego te baptizo*, diceret confabulantibus, *tacete*, & statim reliquum formæ prosequeretur, etiam conficeret Sacramentum. Vide Observationem in calce art. 4. Octava tandèm mutatio est, si verba mutentur in nutus, scripturam, aut in alia signa; & hæc est substantialis, nisi in Matrimonio.

§. II. *Quale sit peccatum mutare materiam, vel formam Sacramenti?*

DIco 1. Mutatio sive substantialis, sive etiam accidentalis formæ, vel materiæ Sacramentorum, est ex genere suo peccatum mortale; quia est profanatio rei sacræ, adeòque sacrilegium; atqui sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale: ergo. Dixi ex genere suo: quia ex defectu plenæ deliberationis, & ex levitate materiæ potest esse veniale.

Si petas, quandò dijudicari poterit esse mortale peccatum, àn veniale, ex gravitate, vel levitate materiæ? R. 1. Quandò mutatio est substantialis, facta cum plena deliberatione sive ex industria, sive ex ignorantia crassa, sive ex gravi negligentia, sempèr est peccatum mortale. Hìc enim non datur parvitas materiæ, cùm fiat sempèr gravis injuria rei sacræ, seu Sacramento, quod nullum redditur per mutationem substantialem. Dico: ex ignorantia crassa, seu ex gravi negligentia, si enim esset levis aut ignorantia, aut negligentia, a mortali posset excusari: at in Ministris ex officio raró excusari ignorantia, cùm ipsi scire teneantur ea, quæ sunt sui officii. R. 2. Quandò mutatio est accidentalis, judicio prudentum æstimanda est gravitas, vel levitas materiæ, nec alia certa regula assignari potest. Hinc multi volunt, peccatum veniale esse tantùm ex levitate materiæ, si quis in forma consecrationis omitteret *enim*; si in lingua vulgari baptizaret; si loco *baptizo* diceret *abluo*, &c. secluso tamèn contemptu, & scandalo. Fore verò mortale, si lingua vulgari consecraret, si in forma Calicis omitteret, *qui pro vobis effundetur*, &c. Pro quo prudentèr discernendo attendendum est ad rigorem usûs, seu præcepti, quantitatem scandali, aut contemptûs.

Dico 2. Qui deliberatè, sive in forma, sive in materia, sive in cæremoniis Sacramentorum, non servat ritum, & modum suæ Ecclesiæ, ex genere suo peccat mortaliter: quia facit contra præceptum Ecclesiæ in materia Religionis, adeòque est sacrilegium: ergo. Quandò autèm in individuo erit mortale aut veniale, judicandum est ut in præcedenti Conclusione arbitrio prudentum, attendendo maximè rigorem usûs, aut præcepti, scan-

scandali, aut contemptûs. Hinc ex communi sententia peccaret mortalitèr, qui ex industria non misceret aquam vino: similitèr, si Sacerdos latinus uteretur fermentato sine gravi necessitate, aut uteretur forma Græcorum in Baptismo: itèm, si Minister ex officio, seu solemnitèr baptizaret sine Catechismis, & Exorcismis; vel sine lumine aut vestibus sacris consecraret. Venialitèr autèm tantum peccaret, qui in administratione Sacramenti Pœnitentiæ preces *misereatur*, & alias omitteret.

Dico 3. Peccat mortalitèr, qui in administratione Sacramentorum utitur materia, aut forma dubia, & incerta, ubi certa haberi potest. In casu verò necessitatis, ubi certa præstò non est, potest, & debet uti materia, seu forma dubia, saltèm sub intentione conditionata Ratio 1. partis est; quia tùnc sine causa. & necessitate exponitur Sacramentum periculo nullitatis, & irrisionis: nec enim tua probabilis, aut probabilior sententia efficere potest, ut materia aut forma sit valida, si reverà non sit ea a Christo determinata: ergo. Hinc Innoc XI. damnavit hanc propositionem: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi Hinc sententia probabili utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Est 1. inter Innocentianas.

Dices: Licitum est uti sententia saltem probabiliori in aliis materiis: ergo etiam cùm agitur de Sacramentorum valore. R. N. Cons. Disparitas est: quod in aliis materiis, dùm aliqua sententia est probabilior, non est tantùm probabilior speculativè, & in se, sed est etiam probabilior practicè, seu est probabilius illam posse teneri; quia si fortè sit falsa, excusatur coràm Deo, qui eam tenuit, quòd secutus fuerit id, quod verosimilius erat verum, & fecerit quod in se est, ut attingeret veritatem, sicque agendo nulla rei sacræ irreverentia periclitatur At verò, licèt, dùm de Sacramenti valore agitur, aliqua sententia de materia, vel forma sit probabilior speculativè, & secundùm se, practicè tamèn non est probabilior, seu non est probabilius illam posse teneri, quandò oppositum est tutius; quia major probabilitas non efficit, ut materia aut forma sit valida, si reverà ità non sit; adeòque non extrahitur Sacramentum a periculo nullitatis, & irreverentiæ. Cæterùm, si sententia aliqua de materia aut forma Sacramenti ità esset probabilior, ut foret moralitèr certa, & communitèr haberetur vera, & opposita licèt tutior vix haberet aliquid probabilitatis, sive ab intrinseco sive ab intrinseco, multis videtur non condemnandus, qui priorem sequeretur: tùnc enim censetur materia, aut forma certa; & aliàs continua foret perplexitas, & impossibilis Sacramentorum praxis; cùm nulla sit sententia, cujus opposita aliquid probabilitatis sive ab intrinseco, sive ab extrinseco habere non possit.

Ratio 2. partis est: quia, cùm Sacramenta sint propter homines instituta, minus malum est, ut Sacramenta periculo nullitatis exponantur, quàm ut homo illis absolutè privetur; prodesse quidèm poterunt, nocere non poterunt; de duobus autèm malis minus est eligendum: & irreverentia, quæ aliàs subesset, abstergitur ratione necessitatis, & intentionis conditionatæ: ergo.

APPENDIX. I.

De repetitione materiæ, seu formæ Sacramentalis.

DIco 1. Qui certus est de invaliditate Sacramenti defectu sive materiæ sive formæ, debet adhibita materia, vel forma valida ipsum absolutè repetere: sicut è contrà, qui certus de validitate Sacramenti ipsum repetit etiam sub conditione, sacrilegium committit; cùm ista repetitio sit profanatio, & irrisio Sacramenti, adeòque grave sacrilegium.

Dico 2. Qui rationabilitèr dubitat de valore Sacramenti, debet ipsum repetere sub conditione: ità ex Jure cap. *De quibus dubium*. Ratio repetitionis; quia minus periculum est facere repetitionem, ubi non esset facienda, quàm omittere, ubi estet facienda: in 1. enim casu est tantùm periculum irreverentiæ Sacramenti, in 2. autèm præter periculum irreverentiæ Sacramenti, quod remanebit nullum aut dubium, est etiam periculum damni proximi. Ratio conditionis est, ut vitetur in quantùm potest repetitio formalis Sacramenti, si fortè fuerit validum, & ejus reverentia salvetur.

Dico 3. Qui sine rationabili fundamento, sed ex levi dubio aut scrupulo temerè repetit Sacramentum, aut formam super eamdem materiam etsi sub conditione, grave peccatum sacrilegii committit Ità communitèr. Ratio est: quia iteratio Sacramentorum permittitur sub conditione a sacris Canonibus solùm in rationabili dubio: sed quandò non est dubium rationabile, apposita conditio habetur pro non apposita; deficiente enim ratione probabili dubitandi vix potest dici seriò, & prudentèr, *si non es baptizatus*, v. gr. *ego te baptizo; si non consecravi, volo consecrare*: sed potiùs videtur dici, *sive sis baptizatus, sive non; sive consecraverim, sive non*, &c. *Ego te baptizo, consecro*, &c. adeòque sub disjunctione intenditur nullitas Sacramenti: & ideò iteratio temeraria Sacramenti facta ex inani dubio est quædam ipsius irrisio: ergo. Hinc caveant illi, qui ex quovis levi scrupulo statim repetunt formam Sacramentorum, idque in consuetudinem ducunt Dixi tamèn, *qui temerè repetit*: si enim ut a molesto scrupulo se expediat, & ne Deum offendat, repeteret, non consuetudinariè ob rationem datam, sed subindè, formam super eamdem materiam, non statim videretur condemnandus, saltèm peccati mortalis; non enim est credibile, quòd gravitèr Deum offendat per actionem, quam ideò ponit, ne ipsum offendat.

APPENDIX II.

De forma conditionali.

FOrma conditionalis dicitur, quæ profertur sub conditione, ut, *Si non est baptizatus, te baptizo*, cùm forma absoluta, contra quam distinguitur, sine conditione proferatur, ut *ego te baptizo*. Formæ conditionalis 7. vel 8. primis Ecclesiæ sæculis nullum fuisse usum, probant Eruditi ex hoc, quòd in variis dubiis de valore Baptismatis SS. Patres, Concilia, & Summi Pontifices jusserint illud iterari, nulla conditionis facta mentione; quam non omisissent, si fuisset ex usu adhibenda. Patet ex S. Cypriano Ep. 76. ex Conc. 2. Arelat. ann. 314. Can. 8. ex Conc. Carthag. 5. ann. 398. Can. 6. refertur Dist. 4 cap. *Placuit*. Ex duabus Ep. S. Leonis, una ad Leonem Ravennatensem, altera ad Rusticum Narbonensem: referuntur eadem dist. cap. *Cum itaque*; & cap. *Si multa*. Ex Gregor. Magn. Ep. 32. libr. 12. Hæc erat eorum ratio: *Quia*, ut dicit S. Leo Ep. 37. *non potest in iterationis crimen devenire, quod factum esse omninò nescitur*. Vel ut dicit Greg. Magn. Epist. 32. *Non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum*.

Prima itaquè formæ conditionalis mentio reperitur in Capitularibus Caroli Magni libr. 6. num. 181. editis ann. 807. his verbis: *De quibus dubium est, utrùm sint baptizati, àn non; omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tantùm verbis: Non te rebaptizo; sed si non baptizatus es, baptizo te in nomine Patris*, &c. Deindè Alexander III qui sedebat ann. 1159. sic decrevit: *De quibus dubium est, àn baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondùm baptizatus es, ego te baptizo*, &c. Refertur in Jure extr de Baptismo cap. 2.

Non tamèn ubiquè obtinuit forma conditionalis, nisi cùm Decretum Alexandri III. fuit in corpus Juris relatum a Gregor. IX. qui sedebat anno 1227. tempore enim Alexandri III. & post ipsum quidam Scholastici, quibus non innotescebat ejus Decretum, adhùc contrarium docebant, ut Magister Sent. libr. 4 dist. 6. Petrus Cantor, & alii. A tempore autèm Gregorii IX in omnibus Latinorum Ecclesiis invaluit usus formæ conditionalis. Et 1. usurpata est pro Sacramentis, quæ iterari non possunt propter characterem, quem imprimunt. Deindè tracta est ad alia etiam Sacramenta, præsertìm Pœnitentiæ, quandò nempè Confesarius dubitat, àn formam protulerit; & quandò Fidelis moribundus subitò privatur usu sensuum, nec potest ab eo haberi materia certa. De quo fusiùs suo loco. Igitùr ex usu Ecclesiæ ubiquè recepto, meritò usurpatur forma conditionalis propter rationes datas in 2. Conclusione præcedentis Appendicis. Prudentèr tamèn est adhibenda, nec nisi post accuratum examen, àn Sacramentum sit verè dubium, præsertìm in Sacramentis, quæ ex natura iterari non possunt, in aliis enim tanta cautela non est adhibenda, ut advertit Dom. Soto.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE NECESSITATE, ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

Div. Thom. Quæst. 61.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramenta sint necessaria ad salutem humanam?

NOta. Sensus tituli posset esse duplex. Primus, utrùm necesse sit ad salutem, uti Sacramentis pòst eorum institutionem? De quo infrà quæst. 65. art. 4. Secundùs, utrùm necesse sit ad salutem, institui a Deo Sacramenta? Et de illo nùnc agitur. Necessarium autèm hìc non sumitur pro necessitate absoluta, nec secundùm Dei potentiam absolutam; sed pro congruentia, & secundùm connaturalem, & suavem gubernationem. Certum est enim, Deum potuisse absolutè aliis mediis hominem salvare. Itèm quæstio est de homine post lapsum, abstrahendo ab hoc vel illo statu, ante, vel post Christum.

Dico 1. (*Hìc quæst. 61. art. 1. o.*) Sacramenta sunt necessaria, necessitate scilicèt congruentiæ, ad humanam salutem. Prob. (*Ibid. in arg. s. c*) ex Aug. libr. 29. contra Faustum cap. 11. ubi dicit: *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur*; atqui necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum veræ Religionis nomen: ergo Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem.

Adverte, in hac auctoritate Aug. has voces *Signaculorum, vel Sacramentorum* non sumi disjunctivè, sed ut duo synonyma: aliàs esset defectuosa D. Thom. consequentia. Nec etiam ly *coadunari* sumitur præcisè pro communicare, seu convenire in aliqua Religione, sed pro eo quod est initiari, seu suscipere, ac profiteri Religionem, ejusque sanctitatem consequi. Aliàs argumentum probaret, etiam fuisse Sacramenta in statu innocentiæ (quod negat S. D. art. seq.) siquidèm in eo fuerit, & fuisset communicatio in vera Religione, non tamèn susceptio Religionis, nec sanctitatis ejus consecutio, sed immediatè a Deo per traductionem naturæ habebatur.

Prob. triplici ratione, seu congruentia, (*Ibid. o.*) Prima petitur ex conditione humanæ naturæ; & sic proponitur: Pertinet ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat secundum modum suæ conditionis; atqui proprium est homini, ut per corporalia, & sensibilia in spiritualia, & intelligibilia deducatur: ergo convenientèr divina Sapientia homini auxilia salutis confert sub quibusdam corporalibus, & sensibilibus, quæ Sacramenta dicuntur. Secunda petitur ex statu hominis lapsi. Ibi debet medicinale remedium homini adhiberi, ut patitur morbum; atqui homo peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus: ergo conveniens fuit, ut Deus per quædam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet. Prob. Cons. Si spiritualia nuda ei proponerentur, ejus animus corporalibus deditus per peccatum applicari non posset: ergo conveniens, &c. Tertia ratio sumitur ex studio actionis humanæ: Actio humana præcipuè circa corporalia versatur: ergo ne esset homini durum, si totalitèr a corporalibus actibus abstraheretur, convenientèr proposita sunt ei corporalia, exercitia in Sacramentis, quibus salubritèr exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia, quæ consistunt in cultu dœmonum, vel qualitercumquè noxia, quæ consistunt in actibus peccatorum Sic igitur (*Ibid.*) per Sacramentorum institutionem homo convenientèr suæ naturæ eruditur per sensibilia; humiliatur, se corporalibus subjectum cognoscens, dùm non per corporalia subvenitur. Præservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum.

Ubi vides, S. D. conclusionem procedere, & de homine secundùm se, seu secundùm conditiones suæ naturæ sibi relictæ (supposito tamèn quòd ordinetur ad finem supernaturalem) ut patet ex prima, & tertia ratione; & de homine secundùm statum peccati generalitèr, ut patet ex secunda ratione. Et quandò infrà art. 3. & 4 adhùc quærit de homine secundùm statum peccati non quærit de statu peccati generalitèr, ut hìc facit, sed determinatè pro aliquo statu peccati, puta antè Christum in 3. Art. & post Christum in 4. Nusquàm autèm procedit Conclusio præsens de homine secundùm statum gratuitum, & quodammodò præternaturalem innocentiæ originalis, de quo Art. seq. in eo enim homo quodammodò extrahitur extra conditiones suæ naturæ.

Dices: Gratia, & Passio Christi sunt sufficientes ad salutem humanam: ergo superfluunt Sacramenta. R. (*Ibid. ad 2. & 3.*) Quòd gratia, & Passio Christi sunt sufficientes in genere suo, seu quoad vim sanctificandi, & salvandi debent tamèn homini applicari; applicantur autèm ipsi convenientèr per Sacramenta, ut probatum est.

ARTICULUS II.

Utrùm etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta?

NUllum in statu innocentiæ de facto extitisse Sacramentum, communis est Theologorum sententia; tùm quia de illorum institutione in hoc statu tàm in Scriptura, quàm in Traditione altum est silentium; tùm quia ille status brevissimo tempore duravit, ideòque fuissent inutilia. Sed difficultas est, utrùm vi statûs nullum in eo fuerit Sacramentum, seu utrùm institutio Sacramentorum habeat aliquam oppositionem, seu repugnantiam cum statu innocentiæ; non quidèm secundum potentiam Dei absolutam. Quis enim neget, Deum absolutè potuisse in quovis statu instituere Sacramenta? Sed secundùm suavem, & connaturalem providentiam? Affirmat S. Thomas, & cum eo Thomistæ; negant plures alii, quorum aliqui ideò volunt, quòd, si status innocentiæ diù durasset, reverà fuissent instituta in eo Sacramenta.

Dico: (*Ibid. art. 2. o*) Ante peccatum vi statûs innocentiæ nec necessarium, nec conveniens fuit, institui Sacramenta. Ante probationem nota, rectitudinem, & ordinem statûs innocentiæ in eo consistere, quòd mens perfectè Deo subesset, menti inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus; & in hac subjectione mentis ad Deum consistit nostra sanctificatio, seu animæ perfectio per gratiam, & scientiam, seu notitias sanctificationi necessarias: tanta autèm erat Dei superioris dominatio, & causæ inferioris ad Deum subjectio in isto statu, ut vi, & exigentia hujus statûs superiùs nullo modo dependeret ab inferioribus in ea dominatione exercenda, sed per seipsum sine mediis instrumentis extrinsecùs sufficientèr moveret inferiùs, ac dirigeret in iis, in quibus pro illo statu inferius per se superiori debebat subjici, & ab eo perfici (hoc est, in perfectione animæ per gratiam, & scientiam, ut dictum est) aliàs enim status innocentiæ non foret perfectus, si in illo non esset talis perfecta subordinatio, & subjectio mentis ad Deum, & partis inferioris ad superiorem, nedùm quidèm in ratione entis (sic enim sempèr subjicitur) sed etiam in ratione supernaturali, & morali sanctificationis, & in rectitudine virtutis. Nota insupèr, dùm loquimur cum D. Thom. de perfectione animæ per gratiam, & scientiam, nos non intelligere qualemcumque scientiam naturalium, nec etiam omnium supernaturalium, sed eam tantùm, quæ gratiam comitatur in ordine ad sanctificationem, & quæ correspondet fidei sive habituali, sive actuali, quæ cum gratia confertur nùnc per Sacramenta; in nullo enim statu potest homo justificari sine aliqua, vel cognitione fidei, vel scientia supernaturalium. Nota tandèm, Sacramenta esse quædam instrumenta corporea, quæ nos manuducunt ad res supernaturales, scilicèt ad gratiam sanctificationis, & huic annexam supernaturalium cognitionem. Hic est enim unus Sacramentorum scopus, & finis. His notatis

Prob. Conclusio. (*Ibid. o.*) Ea erat rectitudo statûs innocentiæ, ut in eo superiora dominarentur inferioribus, & nullo modo dependerent ab eis, in iis scilicèt, in quibus sita erat, seu exercebatur hæc dominatio, & subjectio, & quæ ad eam pertinebant; sicùt enim mens suberat Deo, ità menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ corpus. Undè huic ordini, ac rectitudini incongruum foret, si anima perficeretur quantùm ad scientiam, & quantùm ad gratiam per aliquid corporale; hæc enim animæ perfectio pertinet ad hanc rectitudinem, & per eam habebatur; atqui, si in eo fuissent Sacramenta, homo accepisset suam perfectionem quantùm ad gratiam, & scientiam per aliqua corporalia, & sensibilia: Sacramentum enim est aliquid corporale, & sensibile, ad sanctificandos homines, & ad eos instruendos de rebus supernaturalibus, ordinatum: ergo in statu innocentiæ homo Sacramentis non indigebat, non solùm in quantùm Sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantùm ordinantur ad animæ perfectionem. Conf. Cessante fine primario Sacramentorum, cessare debent, & Sacra-